













Opp: var: 76r.

103.

Opera.











IO GUILIELMUS BERGERI  
OPUSCULA  
VARII  
ARGUMENTI

PAULO QUERZANO



IO-GVILIELMI BERGERI  
OPUSCULA  
VARI  
ARGUMENTI

LEIPZIG  
1781  
P. J. NEUBAUER

Opuscula



IO. GVILIELMI BERGERI  
OPVSCVLA  
VARII  
ARGVMENTI

---

VITEMBERGAE

CID ID CC XXVI

PRELO GERDESIANO





IO GUILIELMI BERGERI  
OPUSCULA  
VARI  
ARGUMENTI

---

PRELO GERDESANO  
MDCCLXXVI





Philippi citra uitium peregrinitatis, ΚΟΛΩΝΙΑ dicuntur, Actuum Apostolic Cap. XVI, com. XII. more quidem Latine enunciandi Graecis quoque Numis, in his Macedonum, ut ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗ ΜΗΤ. ΚΟΛΩΝΙΑ consultius, et publice, expresso. In Orbe certe Romano significantius, quam ἀποικία, ut intelligatur dignitas urbis, et beneficium iuris Italici, quo Coloni *Philippenses* censentur. Leg. VI, et VIII. Π. de Censibus. Plinius lib. IV, Cap. XI. Ab eunt hinc, neque huius iuris, lociue, fructum capiunt, Ptolemensium Colonia, quae, inter Phoenicem et Palaestinam sita, nihil praeter nomen Coloniae habuit, in Palaestina duae Coloniae, Caesariensis atque Aelia Capitolina, neutra iuris Italici facta, ut ait ibidem Ulpianus, et Tyrriorum Colonia, qua, in Syria Phoenice, ortus est, eiusdemque iure Italico, gloriatur. Leg. I. Philippos autem Thraciae, latius diuisae, attribuit Plinius, sed Ptolemaeus lib. III, Cap. XIII, prouinciae formulam secutus, in Macedonia statuit, non dissimulante diuisionem Strabone, lib. VII, atque assentiente Paulo I. C. qui *Philippenses in Prouincia Macedonia* memorauit. Leg. II. X. Π. de Censib. Adeo bene sibi constat auctoritas diuina, cum Philippos in Macedoniae fines describit.



Haec illa est Colonia, quam loquuntur  
 Numi. COL. AVG. IVL. PHILIP. DIVVS  
 AVGVSTVS. Numus Claudii apud Patinum  
 pag. XCIX. Vbi forsan Iuliae nomen, secus at-  
 que huius doctrinae Principi, Illustri EZ. Span-  
 hemio uisum est, nihil impedit, quo minus  
 Colonia sit Augusti. Hoc enim in Iuliam fa-  
 miliam a Caesare adoptato, plerasque, quas de-  
 duxerit Augustus, Colonias ab huius nomine Iuli-  
 as dictas fuisse, constat. Quare cum multos  
 huius antiquitatis exploratores, alioquin eru-  
 ditos, fallit cognomen Iulium, tum Patinum  
 ad Cap. XLII. Tranquilli, Caes. in Numo COL  
 IVL. BER. ubi hanc Phoeniciae ΜΗΤΡΟΠΟ-  
 ΛΙΝ Iulii Caesaris Coloniam facit, quae *Augu-  
 stanapotius Colonia* fuit, ut docet Vlpianus Π  
 de Censibus, Leg. I. Ceterum haec COL. IVL  
 PHILIPPENSIS, ut insignitum est marmor Spo-  
 nianum, a diuino scriptore uocatur ΠΡΩΤΗ,  
 Actuum Cap. XVI, com. XII, minus, ut ex-  
 ponunt quidam, ratione aduentus Paullini ha-  
 bita, sed cum elogio summae amplitudinis,  
 qua capita gentium, simulque Coloniae, or-  
 nantur a Romanis, quorum interesse uideba-  
 tur, efferri urbes, quarum fide, obsequioque,  
 cetera prouinciae opida in officio contineren-  
 tur. Hinc ΠΡΩΤΗ eadem, quae ΜΗΤΡΟ-  
 ΠΟΛΙΣ



ΠΟΛΙΣ, auctore Procopio de Aedif. lib. V,  
Cap. IV, et ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗ ΜΗΤΡ. ΚΟ  
ΛΩ. in Numis Valeriani, et Gallieni. Voce-  
tur huc in partem EZ. Spanhemius Dissert.  
Nona de Praestant. Numism. pag. 10 CXXXII

III

Parum praesidii afferre videntur, qui Paullum  
Ρωμαίων ex iure Coloniae interpretantur, Actu-  
um Apostolic. Cap. XXII, com. XXIIIX, cum Tar-  
sus, Pauli patria, non Colonia fuerit, sed urbs  
libera, neque *Iuliopolis* a conditore, sed in Iulii  
memoriam, Augusti gratiam, dicta sit, ut con-  
firmat Dio Cassius lib. XLVII. Numus Anto-  
nini Severi, e gaza Gallorum Regia. KOINO  
ΒΟΥΛΑΙΟΝ. ΕΛΕΥΘ. ΤΑΡΣΟΥ. Plinius lib.  
V, Sect. XXII. Dio Chrysostomus Orat. I  
Tarsensi, Appianus Bell. Civil. lib. V. Postremo  
Ulpianus Colonias Ciliciae memorat, nulla Tar-  
si mentione facta. Π. Leg. I. de Censibus

IV

Negat Scipio Gentilis lib. II. de Iurisd. Cap. VI, et  
Thomas Reinesius Ep. XXXI. Duumuiros in Co-  
loniis tribunali, iuriue dicundo, praefuisse. Re-  
clamat Marmor. II VIR IVRIS DICVNDI. inuo-  
lumine Gruter. pag. CCCLXXIII, IIX, et pas-  
sim. Refellit etiam magistratus Philippensis  
exemplum, in Paullum ac Silam editum, Actu-  
um Cap. XVI, com. XXIII. Gl. στρατηγός. Ma-  
gistra-



*gistratus. Duumvir. Praetor.* Lumen huc afferunt Ez. Spanhemius, Dissertat. Nona a pag. 10CXCVI, et eruditus Marmorum enarrator, Antonius uan Dale, Dissert. V, Cap. III

V

Tempora tamen minus, ac fieri oportuit, distinguunt, qui, praesertim Apuleio lib. X nixi, *potestatem fascium, extra metam territorii non extollendam*, ex Leg. CLXXIV, de Decurion. Cod. Theod. in eam accipiunt sententiam, ut duos cum fascibus lictores Duumviris in Coloniis, nullo quidem discrimine, concedant. At, stante repub. et priori Imperatorum aetate, habebant ii lictores non cum fascibus, sed cum bacillis. *παβδούχους* dixit scriptor, diuinitus excitatus, antiquo mori conuenienter. Actuum Cap. XVI, com. XXXV

VI

A Coloniis Municipia differunt, ut scite tradit, ipsorumque Romanorum inscitiam castigat, A Gellius, Noct. Attic. lib. XVI, Cap. XIII. Vlpianus Leg. XXVII, ad Municipal. Quamobrem animi pendet Asconius Paedianus, quid sit, quod M. Cicero Placentiam uocet Municipium, quae in Annalibus Colonia nominetur. in Pisonem. Sed nihil oberat, quo minus diuerso Romani, Municipalisque, iuris usu idem locus Colonos, ac Municipes, haberet. Festus u. Municipium. T. Liuius lib. VIII, Cap. XII

VII



## VII

Romani sacra auita in Colonias inferebant, neque mutabant. Fidem faciunt, in aliis, Cenotaphia Pisana, horumque exquisitus explanator, H. Norisius, Dissert. I, Cap. V. Quamobrem omnino M. Ciceronem minus commode, ac solet alioquin, explicat Carolus Sigonius, cum ex Agraria II colligit, missas ex Vrbe Colonias illorum locorum, quo sint deductae, sacra suscepisse, patriis omissis

## VIII

In Rescripto Imp. Antonini Caracallae, quod proditum est ab Ulpiano, Leg. IV II. de Offic. Procons. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΣ redduntur MATRICES VRBES. forsan, ex natiuo, ultimoque uerbi usu, nihilo distinctius, ac, doctus cetera interpres, Iac. Gothofredus *prouinciae caput, matrem urbium, matrices, origines, maiorem patriam*, eadem notione sumit, confusa ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ gemina ui, qua caput prouinciae a coloniarum parente discerni oportet

## IX

*Vt vexillum tolleres.* M. Cicero Philippica II, Cap. XL. Malint nonnulli *uideres.* Recipit, et exscribit, etiam Gronouiana. Praestat tamen lectio prior. Ritus Colonici antiquitas, oratoris sententia, Codd. suffragantur

## X

Quaeritur in Epistolis Schurzfleischianis, quid sit

lit



fit *Territorium*, in eodem loco Tulliano, quod Romani prouincias non habuerint in territoria descriptas. Epist. CCCLIV, Vol. I. Verum agitur hic non de Prouinciae, sed de Coloniae, territorio, hoc est, de ambitu terrae siue agri, mensura, et modo iugerationis, certoque limite, definito, qui Colonis, *aratro*, uti M. Cicero loquitur, *circumducto*, assignabatur. Gl. *Territorium*. ἀγρός. ἐπιβολωνία. ἐνορία. Hinc *Territorium Tarentinum, Austranum, Panormitanum*, apud Sext. Iul. Frontinum de **Coloniis**

XI

Numus Gordiani praeclarus, e Cimelio Carpegnae, a Philippo Buonarotta editus. ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ ΜΑΤΡΟΣ ΑΠΟΙΚΩΝ ΠΟΛΙΩΝ. Qui quidem, potissimum fide Strabonis lib. XII, tam bene de Heraclea Pontica, cum eximii honoris testimonio, exponitur, quam male alii, sub Gordiano cusi, ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ ΜΑΤΡΟΠΟΛΙΤΑΝ ad Heracleam Thraciae ab Io. Valente referuntur. Num. Graec. Imp pag. CL

XII

Non inscienter C. Velleius Paterculus in legibus Gracchi inter perniciosissima numerat institutum Colonias extra Italiam condendi, Romanorumque ueterum arcanam reip. disciplinam commendat. in altero, Cap. XV

---



# DE FACULTATE ALLEGORICA

## I

**S**ive ἀλληγορίαν, siue cum antiquioribus, ut a Plutarcho, auscultationum poeticarum magistro, accepimus, ὑπόνοιαν uocemus, aliud hic dici, aliud autem intelligi, constat. Hic est ille τρόπος, ὁ ἄλλα μὲν ἀγορεύων, ἕτερα δὲ ὧν λέγει, σημαίνων, ex cuius lege, disciplinaque, Homericae recessum doctrinae inuestigat Heraclides Ponticus, pag. XCII. Quare non inscienter scriptor ad Herennium reddit *permutationem*, in Lib. IV, Cap. XXXIV, Fabius, *inuersionem*, alii, *diuersiloquium*, dissimili uoce illi quidem, sed notione consimili, ut aliud uerbis, aliud sententia, demonstratur.

## II

Quod quidem reconditae disciplinae genus multum praesidii habet in ueterum sapientia, quae alium corticem, alium nucleum, affert, uariarumque formarum integumentis uarie, ac studiosius, praecpta inuoluit. Hi sunt *Allegorici sensus*, quibus *aliud quidem dicitur, sed intelligitur aliud*, ut exponit Arnobius, sanctior omnis antiquitatis inuestigator, Lib. V. Vix attinet ad testimonium citare Heraclidem Ponticum, cuius sunt ἀλληγορίαι Homericae, Maximum Tyrium, Dissert. VI, qui arcanae philosophiae rationem, historiamque, tradit, Iulianum, melioris ingenii, quam animi, qui fabulas ad Ethica, et



Theologiam mysticam refert, Orat. VII, cunctos denique, qui prisci aevi Philosophiam Mythicam perinde, ac Symbolicam, exposuerunt. Unus est auctor, pro instructissima scientia, satis locuples, Clemens Alexandrinus, qui hoc occultandae sapientiae consilium latius, et uberius, explicat, ac docet, cunctos, qui de rebus diuinis tractarint, tam barbaros, quam Graecos, rerum principia occuluisse illos quidem, sed ueritatem aenigmatibus, ac symbolis, ἀλληγορίαις τε αὐ, καὶ μεταφοραῖς, hisque talibus modis, tradidisse. Stromat. Lib. V. Postea, quam de Aegyptiis, ac Graecis, omnique ueterum instituto, ipsius etiam sacrae disciplinae mysteriis, disseruit, docet, quae tandem reperiantur διὰ συμβόλων ὑπὸ παρακαλύμματι τῆ ἀλληγορίας μνησόμενα. pag. 15LXXV. Ilias quidem, atque Odyssaea, hoc est, fontes, ut edocet Dionysius Halicarnassensis, a quibus ueteris sapientiae riuuli longe, lateque, dimanarunt, iam uero etiam, Homericorum operum expressa exemplo, Aeneis Virgiliana, tum ipsae Eclogae, imitatione Theocritea fictae, nihil sunt aliud, quam ἀλληγορίαι, uti, his instituti literis, facile largiuntur. Sed plus ingenii, ac laboris, quam fidei, affert Gerardus Croesius, cum in Homero Ebraeorum Historiam, ἀλληγορικῶς expositam, scrutatur. Nihilo pluris est ἀλληγορία Iacobi Hugonis, cum ante illum *Originem Italiae ac Romae, ad hanc diem ignotam*, sic exponit, ut tam in Homero, quam in Virgilio, Historiae Sacrae, in utroque Instrumento, capita praecipua, quaerat. Aliud omnino sentit, ac loquitur, μυθολογία uetus. quam retrusa tamen, tam obscura saepe, est doctrina, quamque uaria  
hic



hic est mira, tam incerta, ac saepius infelix, est interpretum ratio, praesertim illorum, qui, Iacobi Tollii exemplo, ipsius, quem uocant, Lapidis Philosophici arcanum hic quaerunt, aurumque, ac thesauros, dum uenantur, fumum, et carbones, inueniunt, quod illi sic euenit Berolini, ut, iam ferme peracti Lapidis materiam in plateam sese proiecisse, ipse fateatur, Epist. Itiner. II. Nec uero tam Demonstratio est, quam *ἀλληγορία*, P. Dan. Huetii, cum praecipuam Mythicae Historiae partem ad Moysem, eiusque uxorem, transfert, neque aperit fabulas, sed auget. Omitto alios, unumque refero Martianum Capellam, quod hic Philologiae et Mercurii Nuptias instruxit, ut Artes Liberales, et, quam Graeci nominant, *ἐγκυκλοπαιδείαν*, *ἀλληγορικῶς* doceret, tantamque sibi gloriam hoc ingenii monumento confecit, ut illa quidem aetate, his deliciis, fatis interdum obscuris, capta, cupide, et solus fere legeretur, nec doctus facile, nisi hoc euoluto, putaretur, ut obseruat C. Barthius Adu. Lib. IIX, Cap. XXIII. Ceterum Orientem *ἀλληγορίαις* praecipue indulsisse, et scimus, et copiosius edisserit ex interioribus, quibus abundat, literis Petrus Daniel Huetius, ut *Fabularum Romanensium*, quae ab illa ratione tectius docendi defluerunt, originem retexat

### III

Ipse quoque populus, ductu, auspicioque, diuino consecratus, *ἀλληγορίαις* assueuit, easdemque diuinitus propositas habuit, quas commemorat, laudatque, Cl. Alexandrinus, et nos etiam nunc, sanctorum praesertim uatum oraculis mandatas, inspicimus, ac uersamus. Abdita haec sensa, moremque sortes edendi, diuino, ac singulari, consilio asserit Seruator, atque, ut carminibus



antiquis, sacrisque praedictionibus, fidem, omni exceptione maiorem, faciat, ipse tectius docet, καὶ χωρὶς παραβολῆς οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς. Matth. XIII, com. XXXIV. Sic autem admirationem sapientiae, publice spectatae, hominibus iniecit, et hominum, quibuscum egit, studia facultate docendi traxit, de quibus, ad ἀλληγορίας propensis, differit Hieronymus, in Matth. Cap. XLIX

#### IV

Igitur cum absconditas in sacris notiones, sententiasque, inuestigarent homines, externa uerborum professione non contenti, consectabantur ἀλληγορίας, maxime Aristobulus Iudaeus, ac Philo, excitatus, uti uidetur, imitatione Therapeutarum, quorum in hoc genere studium, δι' ὑπονοσιῶν ἐν ἀλληγορίαις, ipse commemorat, ut est apud Eusebium, Histor. Eccles. Lib. II. Cap. XVII. Latius a Philone, ut traditum est a Photio Cod. CV, fluxit, et propagata est, haec diuinae mentis interpretandae ratio, neque paucos, praesertim ex Philonis instituto, Platonicae inuestigationis studiosos, occupauit, neque raro in errorem implicuit, maxime autem Origeni, ut sibi liberalius hic indulgeret, exemplum praebuisse uidetur. Ait tamen Porphyrius, Origenem hanc explanandi legem a Chaeremone Stoico, et Cornuto, accepisse, atque ad mysteriorum indagationem traduxisse, ut memoriae proditum est ab eodem Historiae *Ecclesiasticae* conditore, in Lib. VI, Cap. XIX. Etsi uero Alexandrino doctori neque haec, neque alia, si profanae adeundae forent Scholae, Metrodori Lampsaceni, atque Heraclidis Pontici, deerant exempla, tamen ei, si explorandi sagacitatem, industriamque,



amque, religione animi rexisset, ac temperasset, grauior, ac potior, auctor esse poterat ipse Paullus, qui ex duabus Abrahami uxoribus, Sara atque Agar, harumque dissimili partu, utriusque foederis Instrumentum, et dissimilem illius conditionem, exquirat, ad Galat. Cap. IV, com. XIV. Abeunt nihilo secius haec ἀλληγορούμενα ab usitato genere, quod τύπου uim habent, et, salua integraque historiae ueritate, res Instrumenti ueteris, μυθικῶς enarrandas, praebent. At minus animo moderatus est Origenes, cum, posthabita rei gestae fide, διάνοιαν ἀλληγορικὴν attulit, plurimumque, praesertim qui diuinae auctoritati, in commemoratione rerum gestarum, sic detrahi existimarent, odia in coetu sanctiori, sibi conflauit. Re tamen, quae a multis acrius acta est, diligentius agitata, non ex aliorum iudiciis, sed ex ipsa rerum comparatione, pronunciaisse uidetur, laboriosus, et eruditus, Origenianorum scriptor, quo iam usi sumus, Huetius, ab Origene in multis literae dignitatem seruari, historicam in nonnullis sententiam admitti, in pluribus ἀλληγορικὴν, in multis utramque. Lib. II, pag. CLXXIV. Ceterum haec ἀλληγορία est illa θεωρία, a qua differt ἰστορία. illa uim sententiae ἀλληγορικῆς, haec τοῦ ῥητῆ ὄν, designat. ex Cyrillo Alexandrino, Isidoro Pelusiota, Theophane, aliis, liquet. usum huius ἀλληγορίας exponit, quem nominauit, Isidorus Lib. IV, Epist. CXVII, et CCIII

## V

Etsi uero hoc docendi genus perlate patet, et aliter ab aliis tractatum, non idem, aliquando etiam hoc minus ualet, quo maiori obscuritate inuoluitur, tamen  
in



in primis similitudine, recte ascita, plurimum potest, idque non tantum in continua, sed etiam in breuiori, concinniorique, oratione. Hic similitudinem cum laudamus, Allegoriae, quam uocem usus iam frequentauit, non idem, ac Fabius, spatium damus, nec tamen de regundis eius finibus arbitros agimus, uerum unam, quam diximus, similitudinis uim, ex reliquo λέξεως τροπικῆς apparatus, amplexi, pro instituti ratione, Allegoriam uocum translatarum, similitudine, continuationem, siue μεταφορὰν continuatam, appellamus. Translationem autem plurimum facultatis habere et in poesi, et in oratione cetera, ait Rhetorum sapientissimus, Lib. III, Cap. II. Quo fit, ut maior sit uis, maiusque robur, Allegoriae, ex pluribus translationibus connexae

## VI

Nobis, suus quemque sensus docet, duas animi facultates, quas in agendo sequamur, natura tributas esse, quarum alteram Intelligentiam, alteram Voluntatem, uocamus. Quarum quidem utramque ut quaeque dicendi facultas explet plurimum, ita maxime ualeat. Vtrique igitur ut satisfiat, scienter, atque ex ipsius animi notitia, inuenta est triplex ratio docendi, conciliandi, permouendi

## VII

Principio docet, quicquid rei, clarius intelligendae, causam dat. Quod cum aliter atque aliter fieri possit, tum percommode fieri uidetur, cum per ιδέας consimiles, quae illustrandi uim habeant, expressas, insignes, quasi uita, actuque, praeditas, tum sensu, usuque  
uitae



familiari nobis tritas, cognoscendi ratio ita menti nostrae exhibetur, ut ope harum imaginum, ueluti depictarum, uel illud saepenumero quasi sub aspectum subiiciatur, quod alioqui solo erat animo informandum, aut uix, ac ne uix quidem, ratione, intelligentiaque, comprehendendum. Nam docere nihil esse uidetur aliud, quam facere, ut, quod sensu distincte perceptum est, clare etiam intellectui repraesentetur. Quod si nihil est in intellectu, nisi quod prius fuerit in sensu, hoc quidem facilius, et exploratius, res, his simulacris effictas, mens ipsa concipiet, quo magis tractatae, ac frequentatae, sensu, et cognitae, quoque rei demonstrandae affiniores, sunt, quae aliunde assumuntur, notiones. Adco harum, in quibus inest similitudo, notiorum, eoque clariorum, imaginum perceptione, ac quasi lumine, aliae etiam minus notae, atque obscuriores, collustrantur facile, et facilius intelliguntur. Sic enim inducimus animum, atque existimamus, res, quas cognoscamus, aut corporeas esse, aut a corpore seclusas, et sola mente consequendas. Corpore praeditarum notiones, animo informandas, cognita sensu, illustris, efficax, quae ductam ab re consimili affinitatem ostendat, imago hoc euidentiuss, ac breuius, docet, quo magis illustrat, atque id, quod dicitur, quasi ante oculos ponit. Res, a mole se iunctae, aut, propter altitudinem suam, minus, ut diuinae, aut, propter obscuritatem, quippe cum sola inuestigentur ratione, difficilius, ut aliae naturales illae quidem, sed ab oculis remotae, animo capiuntur. at Similitudo, sensu nobis perspecta, in re altissima tantum certe, quantum ratio nostra capit, non obscure docet, in alia, saltem non conspicua, quasi conspiciendum dat, quod alioqui cerni non possit. Differt hominum uti

B

sen-



sensus, sic captus, adeo quidem, ut alii res, a conspectu remotas, tantumque cogitandas, facilius, alii difficilius, assequantur. at, ubi res, imagine consimili, illustri, iamque cognita sensu, induta, et conuestita, sistitur, nullius temere tam obtusus est sensus, tamue hebes ingenium, quin per speciem iam notam rem ignotam, per conspicuam illam, quae alioquin aciem effugiat, et sentiat propius, et promptius discat. Accedit hominum, quam rebus discendis necessaria, tam dispar, attentio, cum uel ii, qui promptiori, dociliorique, sunt ingenio, interdum cogitandi, atque inuestigandi laborem fugiant, eoque in considerata eadem re, praesertim recondita, atque obscuriori, leuius commorentur. at ipsa, quae in conspectum quasi prodit, imago quo minus accedit expectata, hoc magis peregrinitate sua in se conuertit animos, ut, dum rerum similitudinem expressam miramur, commentamurque, considerandi studio profectus augeatur, hacque ipsa iucunda solertia erudiamur. Postremo his fere cogitationibus asuefacti sumus, ut per imagines, sensu acceptas, idoneeque translatas, uel eas saepenumero res animo concipiamus, quae alioqui sub sensum non cadunt. Hae autem sunt imagines illae, quas ex affinitate rerum elicit, ac format, et sensui nostro exponit, Allegoria. Quare imaginum, quas a rebus, sensu exploratis, mutuatur, repraesentatione eorum, quae ignota sunt, aut aliquam, captuique nostro accommodatam, aut illustriorem, pleniorumque, cognitionem parit. Captum, ingeniumque ipsum, similitudine, iam ante usu capta, quasque aspectabili, adiuvat, consentaneorumque rerum comparatione hoc attentiores tenet animos, quo magis inquirendi eius, quod alioqui non cadit sub oculos, laborem minuit,  
ac,



ac, dum rebus, ad notiones, nobis familiares, et sensu-  
um consuetudine tritas, traductis, quae alioqui sola co-  
gitatione sentiantur, quasi uitam, spiritum, actumque,  
impertitur, mirifice oblectat iuxta, ac praesenti uelut  
spectaculo docet. Haec illa sunt translata *significandi*  
*gratia*, ubi nihil horum suis uerbis, quam his arces-  
*sitis*, magis proprium est, ut uim translationis ἐμφαιτικῆν  
exponit Fabius, L. VIII, Cap. VI. Iam ne ipsa quidem uerba  
translata ab hominum consuetudine abhorrent, quae par-  
tim ipsa necessitas, partim significandi, ornandique, facul-  
tas commendat. Nec uero ignotum est animi studium, quo,  
ueluti natura duce, huc rapimur, cum delectet et rerum,  
praesertim delectarum, similitudo, et artificiosa imita-  
tio, qua rerum effigies, quasi nouae, atque ab homini-  
bus demum inuentae, ostenduntur. Hac mente Philo-  
sophus non solum uerba propria, et sua, sed etiam trans-  
lata, in oratione neque obscura, neque humili, laudat,  
quod his solis omnes utantur. Rhetor. Lib. III, Cap. II. Et  
Fabius Translationem uocat non modo *pulcherrimam*,  
sed etiam *frequentissimam*, quae ita ab ipsa nobis con-  
cessa sit natura, ut indocti quoque, non sentientes, ea cre-  
bro utantur. in Lib. VIII, Cap. VI. Eandem in agrestium  
sermone, cetera horrido, atque inculto, reperit M. Cicero,  
III de Orat. Rursus Fabius, Allegoriam *paruis* quoque *in-*  
*geniis* conuenire, et *quotidiano sermone* creberrime  
seruire. Quibus rebus fit, ut docendi genus, quod sobria  
instruit Allegoria, tanto sit aptius, quanto propius ad  
hominum consuetudinem accedit, eoque efficacius, quo  
suauius, et quasi quibusdam naturae illecebris, animos al-



licit, atque in rerum contemplatione defixos tenet. Omnis huius, quantacunque putetur, facultatis non ignarus ille Longinus, scite praecepit, in locorum tractationibus, et descriptionibus, hoc est, ubi docendum sit, nihil significantius esse frequentia Translationum. οὐκ ἄλλο τι οὕτως κατασημαντικόν, ὡς οἱ συνεχεῖς, καὶ ἐπάλληλοι τρόποι. Sect. XXXII, ubi, quod dixit, Xenophontis, praecipue Platonis, exemplo confirmat. Nec uero alia reddi causa potest, quam obrem Numen ipsum rerum, quae alioquin in hanc maiestatem minus conueniant, simulacra suscipiat, et, quae hominum sunt, aut operis, ab ipsomet facti, Deus, atque opifex, sibi, creberrima in sacris translatione, tribuat, quam ut illa συγκαταβάσεις, qua ad sensum, captumque nostrum sese demittit, mentis nostrae infirmitati succurrat, et quae, amplitudine immensa, modo, angustisque, rationis nostrae capere non queamus, horum umbram aliquam imaginibus, nobis sensu cognitis, ostendat. Haec uero simulacra nihil sunt aliud, quam ἀλληγορία, et ἀνθρωποπαθῶς dicuntur, sed θεοπρεπῶς intelliguntur, ut submonet Athanasius Dialog. I de Tr. Vol. II, pag. CLXIV. Praeclare, ut multa, Augustinus. *Sapientia Dei, quae cum infantia nostra parabolis, et similitudinibus, quodammodo ludere non dedignata est, Prophetas uoluit humano more de diuinis loqui, ut hebetes hominum animi diuina, et coelestia, terrestrium similitudine intelligerent.* hactenus antistes Hipponensis. Hoc illud est ἀνθρωπόχημον τὸ θεῖον, quod propter imbecillitatem uirium nostrarum saepius in sacris effingitur, non quo Deus ea sit imagine, sed ut nos corporeis  
his



his exemplis, quae sensibus nostris respondent, diuina pie considerare, atque intelligere, discamus. *ὄυχ ὅτι ὁ θεὸς τοιοῦτός ἐστιν, ἀλλ' ἵνα ἡμεῖς ἐκ τῶν σωματικῶν παραδειγμάτων τὰ θεῖα εὐσεβῶς νοῶμεν.* Graüter sic contra Arium disputat Athanasius. Vol. I, pag. CXXXIII. Quo quidem sensu orbus fuit Audaeus, Syrus, cum Deum humana forma commentus est, et corporis illi membra, artusque, tribuit, quasi nihil hic *ἀλληγορικῶς* diceretur. *τὰ συγκαταβατικῶς παρὰ τῆς θείας εἰρημένα γραφῆς ἀνοήτως νενοηκῶς,* ut recte coarguit Theodoritus, *αἰρετοκακομυθ.* Lib. IV, Cap. X. Hinc error, similitudine hominis Deo nefarie afficta, crassus, Audianorum, quos, dictos a pestifera opinione *ἀνθρώπομορφίτας*, Athanasius, Cyrillus Alexandrinus, Epiphanius, Chrysostomus, Augustinus, alii passim, refellunt

### IIX

At parum idonea ad docendum est Allegoria, si orationem, ut placuit nonnullis, obscurat. Non uacat huc afferre, quae dicta sunt a Stoicis, Epicureis, atque aliis, qui, repudiato dicendi ornatu, simplex, ac proprium, dicendi genus retinuerunt. Ipsius quidem Allegoriae uis, ingeniumque, sibi esse fraudi uidetur, quod, cum aliud hic dicatur, aliud sentiatur, et uoces, e sedibus suis alio translatae, continuentur, ac saepe cumulentur, acrioris esse uideatur uel ingenii, uel curae, haec intelligere, quae minus proprie dicantur. Verum tamen, quid hic displicuerit quibusdam, minus moramur, ubi, quid aliis, nihilo uel sapientia, uel auctoritate, inferioribus, probatum sit, non ignoremus. Vim Allegoriae ut perspiciamus, non solum artis huius uirtus ab artificis uitio discernenda, sed etiam uariis, et



multiplex, eius usus considerandus est. Habet, sicut ostendimus, Allegoria lumen, quod ab idoneo, atque illustri, Translationum genere capit, adeo, ut scienter instructa, locoque suo collocata, aliud quidem dicat, aliud intelligendum relinquat, neque eo secius id, quod res est, eidentius, et significantius, doceat, ac si proprie loquatur. Huic tamen lumini potest induci caligo, si iudicii lex, quam ars postulat, uioletur, ut hoc translatum dicendi genus neque ex disciplina fingatur, neque adhibeatur in loco. Amplius, ubi res corruptela uacat, potest Allegoria prudentiae, consilio interiori, studio cuiusdam singulari, subseruire, neque ad illustrandam tantum, clariusque tradendam, sed etiam ad obscurandam de industria, recondendam, occultandamque, orationem conferri. Hinc Apologi, Fabulae, Aenigmata, quae huc referuntur. Hinc, ut alia iam differamus, instituta singularia, non solum Pythagoreae, sed aliarum etiam scholarum, quae hoc occulto praecipendi genere sua sibi arcana, siue, ut Graeci dicunt, ἀπόρρητα, diligenter seruabant. Citetur, si quis ambigat, denuo testis, cuius auctoritatem, in doctrinae reconditae argumento, non temere defugio, Clemens Alexandrinus, Lib. V Stromatum, pag. IoLXXV. Instar multorum sit Heraclitus ille, sapiens Ephesius, qui ab hoc occultandi studio σκοτεινός appellatus fertur. Ita uero, ubi artis imperitia uitium contraxerit, praesidium sibi comparauit sapientum ratio, neque Allegoriae utilitas imminuta est, uerum secreto quodam instituto amplificata. Ipse quidem Seruator per παροιμίας locutus est. Theophylactus exponit orationem πλαγίως ἔπιμεκρυμμένως, oblique, atque occulte, id quod res est, ostendentem, ut generatim Allegoriae ratio intelligatur. in



Ioannem, Cap. XVI. Crebrius παραβολή dicitur in sa-  
cris. Hic Christus, a discipulis rogatus, cur tandem Para-  
bolis ad populum uteretur? quia, inquit, vobis datum est  
nosse mysteria regni coelorum, illis autem non est datum. διὰ  
τοῦτο ἐν παραβολαῖς αὐτοῖς λαλῶ, ὅτι βλέποντες οὐ βλέπουσι,  
καὶ ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσιν, οὐδὲ συνιούσι. Matth. C. XIII. Nihi-  
lominus prudentiæ exemplo se tuetur illud Allegoriae ge-  
nus, quod ob praecisam, abruptamq. sententiam tenebris,  
et nocti, simile dixit Demetrius, uti vulgo usurpatur, Pha-  
lereus. At hoc, ut idem ait, ὡς περὶ συγκαλύμματι τοῦ λόγου,  
terrendi, non docendi, causa dictum fuit, uti illa Graeciae  
mysterianoctu, horroris sacri iniiciendi causa, fieri sole-  
bant. Iam interest aliquid inter Allegoriam, quam uocant,  
Puram, ac Mixtam. Illa obscurior esse potest, quod ex arces-  
sitis tantum uerbis conflatur, accommodationemq. audi-  
entis iudicio relinquit. Haec clarior est, quia a pertis per-  
mixta, ubi et species ex arcessitis uerbis uenit, et ex pro-  
priis, natiuisque, intellectus. Quare usus illius rarior est,  
huius crebrior, utraque tamen, quam Fabius Lib. VIII,  
C. VI explicat, a M. Cicerone, oratore non obscurae uel  
prudentiae, uel eloquentiae, atque aliis, adhibita, et eo  
certe loco, numeroque, habenda, ut in neutra, pro eo,  
ac par est, ad usum traducta, docendi facultas desidere-  
tur. Nec uero illius, quam Commixtam uocamus, quod uis  
hic genus recipimus sed illud potissimum, prudenter dele-  
ctum, ac perite concinnatum, quod significandi gratia sic  
adhibetur, ut in eo, quod obseruat Fabius, nihil suis uerbis,  
quam arcessitis, magis proprium sit. Hoc est εὐ μεταφέρειν,  
quod magni putat Aristoteles, idemq. σαφέστερον ἐν ταῖς με-  
ταφοραῖς, καὶ κυριώτερον, ἢ περὶ ἐν αὐτοῖς τοῖς κυρίοις, ut tradit De-  
metrius ille, et fere M. Cicero III de Oratore. Est au-  
tem

tem



tem aliud genus, ornandi causa institutum, quod etsi recte suntum, apparatusque, orationem non magis ornat, quam illustrat, tamen immodico, atque inconsulto, pulchritudinis aucupandae studio facile tenebras offundit. Quem quidem ornatum Platoni quidam in uitiiis posuerunt, neque Aristoteles, illius familiaris, tulit, quod simplicius dicendi genus sequeretur, alioquin, ut omnis *φράσεως*, sic *τροπικῆς*, haud imperitus. Translationes quidem nihilo secius, ac proprium dicendi genus, ad dicendi subsidium exposuit, neque illarum duntaxat usum, uim, suauitatem, ac peregrinitatem, sed etiam perspicuitatem, idque praecipue, laudauit. *καὶ τὸ σαφές, καὶ τὸ ἡδύ, καὶ τὸ ξενικόν, ἔχει μάλιστα ἢ μεταφορά.* Rhetor. Lib. III, Cap. II. Similitudo enim, qua est solum, et quasi fundamentum, Translationum, facit, ut omnia apertiora fiant, et clariora, Petro Victorio interprete, bono quidem in primis, et scito. Ceterum princeps dicendi magister submonet, ut bene, diligenterque, uerba transferantur, quasi non uideatur ignorasse illius similes, qui discipulos obscurare, quae dicerent, iubebat, Graeco utens uerbo, *σκότισον*, ut traditum a Tito Liuiio, memorat, uitiumque castigat, Fabius Lib. VIII, Cap. II. Superest, ut uerum, incorruptumque, Allegoriae usum non opinionibus hominum, neque deprauatis quorundam exemplis, sed artis peritia, et prudentia temporis, ac loci, aestimemus, atque hoc illustre docendi adiuumentum sine quaesiti ornatus obscuritate retineamus. Hactenus  
de facultate docendi

---

EXPLICITA EST DISSERTATIO  
PRIMA



DE  
VIRIBVS ALLEGORICIS

I

**C**onciliat id, quod suauitate quadam delinit animum, sic, ut eum, praesenti captum uoluptate, in rem, amicam sibi iucundamque, studio quodam atque amore, non operose prouocato, sponte ultroque, ac suauiter, inclinet. Verborum commentarii, qui *Glossarum* nomine circumferuntur, custodes notionum reconditarum atque interpretes eruditi, *Concilio*, Φιλοφρονοῦμαι, Φιλοποιοῦμαι. *Conciliacio*, Φιλοποίησις. Hinc, aestimata rei indole, *Conciliare* M. Ciceroni est *delectare*, quam quidem uerbi facultatem tam a *docendi*, quam a *mouendi*, appellatione distinguit ille, triplicis illius officii, in argumento inuentionis, oratorii multo prudentissimus, in Bruto, Cap. XLIX, et LXXX, et item de optimo genere oratorum, Cap. I, ubi, *delectare honorarium*, dicit. Quod autem dixerat *conciliare*, id, commutata mox dicendi ratione, exponit, *animos eorum, qui audiunt, deuincire uoluptate*, in Bruto, Cap. LXXX. Hoc idem tanti facit, ut *persuadendi* uim, alioqui communem, sigillatim tribuat conciliatio- ni, in altero de Oratore, Cap. LXXVII. Iam ea uerbi tralati uis, is hominum sensus est, ut Ciceroni, non ieiuno sterilique rhetori, sed dicendi facultatem caussis



ponderanti, admirandum per saepe uideatur, quid sit, quod omnes translatis et alienis potius uerbis, quam propriis et suis, idque affluente suorum uerborum copia, delectentur. Quod quidem, re acutius perspecta, accidere, credit, uel, quod ingenii specimen sit quoddam, transilire ante pedes posita, et alia, longius arcessita, sumere, uel, quod is, qui audit, alio deducatur cogitatione, neque tamen aberret, quae maxima est delectatio, uel, quod singulis uerbis res, ac totum simile, conficiatur, uel, quod omnis translatio, quae quidem summa est ratione, ad ipsos admoueatur sensus, oculorum maxime, qui est sensus acerrimus, meritoque talis reputatur. Hoc disputatur in tertio de Oratore, Cap. XL. Quo fit, ut translatio, sicut pronunciat Fabius, *insuauius, recte modo ascita*, esse non possit. Proinde, cum eius, in qua mentem defigimus, Allegoriae semina radicesque sint translationes, hoc plus illa delectationis afferet, quo plures similitudinum suauitates in ea, tanquam similitudine continuata, collectae, comparebunt. Eius rei animaduersio integrorum peperit inuentiones operum, ab Allegoria ductas, cum mirifica quidem legentium uoluptate, quam nimiae captationis uitium, corruptis ingeniis familiare, pulchritudinis quaesitae taedio, non laceffit. Sed, ut difficile est, modum sui habere, sic multos animi libido praecipites dedit, multos captata ingenii gloria decepit. Graecas quidem inscriptiones, operibus praemissas, quae plus peregrini splendoris huius, quam ueri salis, haberent, notauit C. Plinius, familia Secundus, natu Senior, eum inscribendum esset opus, qua ipsa patet rerum natura,

tura,



ntura, diffusum, ab istis ingenii deliciis, siue a *festiuore titulo*, ut ipse loquitur, alienus. Aulus uero Gellius, ut Noctium Atticarum simplicitatem modestiamque commendaret, consimilem inscriptionum licentiam Latinis, aequae, ac Graecis, crimini dedit, et, eas, quas appellat, *festiuitates*, hos *titulos*, quos nominat, *exquisitissimos*, insectatus, *inscripta*, ut ait, *nimis lepida*, *multasque prorsum concinnitates redolentia*, summouit. Facetis nugis simplex inscribendi genus praetulit, Noctes tamen Atticas nihilo simplicius uocauit, quam, Naturalem Historiam Veronensis ille, ab eo castigatus iniuria, quamuis V. C. Iacobus Gronouius Gellium, sententia certe Gellii repugnante, purget. Sic, ex Orientis instituto, Iudaeos iuniores indulgere sibi, scimus, sic nihil proprii in compluribus recentiorum monumentis scriptorum comparere, nouimus, et utrumque, exemplis, saepe lepidis neque irridiculis, copiose depromptis, confirmat, quantumque eo peccetur ingenii lusu, docet, Adrianus Baelietus, Cap. XIII. Interim ex nouis, quos ille non attigit, qui grauius rem gerunt, ingenii elegantiam arbitris non inelegantibus probauit Renatus Rapinus, antiquis proximus, cuius et plura sunt huius generis in Eclogis, et illa *Solis, in Aurorae sinu concepti, Fabula*, pulchre, ac mira suauitate, scripta, qua Sacrum *Virginis Annunciatae* celebratur, Heroicorum lib. I. Venusta, et plena suauitatis, est *Ingenii Familia*, in qua Gabriel Cossartius Ingenium, Librum, Vocem, Memoriam, Obliuionem, stilo quidem Ouidiano, describit, nihilo secius, ac *Plan-*



*tas Amantes*, et alia, ingeniosius expressit. His dumuiris, utrique Gallo, utrique sodali Ignatiano, astruatur, ex Italis, Ioannes Baptista Ferrarius, qui, eodem inuentiois ornatae instituto usus, ex recentioribus oratoribus, acumini seruiit, et ἀμνηστικῶς dicere consuevit, multi homo ingenii, neque indifertus. Eius sunt, *Lilium inter Spinas*, siue, *de incontaminato B. Virginis Conceptu*, *Natalitia Solis aeterni Nox*, siue *de Christo nascente*, *Supra Stellas euecta Nubes*, siue *de Christo in coelum ascendente*, *Beatum Incendium*, siue *de Sancti Spiritus Aduentu*, et alia, quae praetereo, plura. Addatur huic alter Ferrarius, Octavius, ingenii ac literarum laude clarus, ubi de Nuptiis Philologiae, de Peplo Veneto, de Pallade Suecica, et aliis, egit. Consimilem delectationis augendae uim ad Inscriptiones, publicis marmorum literis prodendas, transduxit, non magis dignitate loci, quam fama ingenii, illustris, Emanuel Thesaurus, qui, seposita non nihil ueterum simplicitate, Allegoriae, in stilo *Lapidario* continentis, usum nihilo docuit magis, quam exemplo comprobauit. Extat integrum huius elogium, quod ad imitationem Allegoriae Horatianae effictum est, sub imagine naufragii, in *Patriarcharum Genealogia*, ab eodem scripta. Memoratur id ab illo, cum ratione instituti reddita, in Cap. XVII peringeniosi, et, si credimus Octauiio Boldonio, quadraginta annorum labore perpoliti, de *Arguta Dictione*, Commentarii, quo et acutum Aristotelis interpretem, et limatum oratorii acuminis magistrum, se praestitit, aliquando tamen subtilis,

lis,



us, quam necesse est, praecepit, neque magis attentum, prudentem, iudicioque subactum, expectat lectorem. Adeo, in diuerso scribendi genere, delectat Allegoria, tantoque plus adiuuat ad conciliandum, dumne discedat a grauitate iudicii, dummodo ne animi libidine prudentiam, fucati decoris affectatione gratiam, corrumpat

## II

Singularem tamen, et maxime, in ratione dicendi, commendatam, uim habet illa, ubi, recte adhibita, cum omne moris emendati genus, tum probitatem, prudentiamque, ac beneuolentiam, promit. Namque is est animi, non omnino corrupti, stimulus, natura ingeneratus, ut, honesti decorique ubi lumen eluceat, eo nos, ipsius splendore uirtutis praefrecti, trahamur. Frugi tamen ac probos, intelligentes rerum ac prudentes, amicos, nostrique studiosos, hoc facilius diligimus carosque habemus, quo fidei plus eis habemus. Quo fit, ut ipsa uirtutis significatione delectemur, eosque existimatione atque amore nostro non indignos ducamus, quorum oratione uirtutis insitae indoles, neque unius honestas generis, expromatur. Hoc Plato, hoc Aristoteles, hoc M. Tullius, cum in libris de Officiis, tum in Laelio, Platonem ea in re potissimum secutus, confirmant, hoc communis naturae sensus monet, ususque testatur

## III

Iam nullum uirtutis est genus, cuius non capax fit Allegoria, quae, cum in rebus honestis praeclarisque uersatur, harum decus, insignium coniunctione imaginum, illustrat. Pleni sunt documentorum sacri pro-

pro-



profanique libri, talium plena imaginum natura, quibus Platonici magis, quam Aristotelii, utebantur olim, quibus, modo cum Hispanis, modo cum Italis, uti solent ii, quos iuuat tralatis rerum definitionibus exornare sermonem. Cum autem res turpes, quantumque honestis et castis, uel oculis, uel auribus, indignas, tantum dictu foedas, pro instituti ratione, attingit Allegoria, in iis quidem enunciandis ita pudori consulit ac grauitati, ut, quae natura, pudoris obseruans, a conspectu remouit, et procul a sensibus amandauit, ea, uerborum honestiorum mutuatione, abdat, et, quae honeste ac uerecunde ne spectari quidem, audiriue, possent, ea translatione, non inhonesta neque illiberali, eloquatur. Parum hoc morati sunt Epicurei, Cynici, et quidam Stoici, paene Cynici, qui, reprehendere atque irridere soliti, quod ea, quae turpia re non sint, uerbis flagitiosa dicantur, illa autem, quae turpia sint, nominibus appellentur suis, plura in eam sententiam, contra uerecundiam, disputarunt. A quibus tamen dissentit M Tullius, uerecundioris liberaliorisque officii magister grauissimus, in primo, de Officiis, Cap. XXXV, et XLI, et lib. IX. Epist. XXII, ubi loquendi libertatem relinquat aliis, sibi uerecundiam Platonis, cui assueuerit, seruandam, putat. Aristoteles etiam opinionem, qua uitae dignitas contaminatur, profligat in III Rhetoricorum, uerecundi, e contrario, sermonis studium commendat, in septimo Politicorum, Cap. XVII. Pluribus, et, qua solet, elegancia bonos mores literis asserit Franciscus Vauassor, si non totius rei Epigrammaticae plenus, et cunctis absolutus numeris, at certe uirtutis, quae in illud carminis genus conueniat, praeclarus,  
ex-



explanator, Cap. XI. Itaque, quam obscena et sordida erat istorum ratio, quibus nihil turpe, quod naturale, uidebatur, tam pudens, tam ingenua, uitaeque item dignitati consentanea, reputetur Allegoria, ut credendum sit, M. Tullium, seuerioris castigatiorisque disciplinae auctorem, si loquendi cautionem, a consuetudine Cynicorum licentiaque alienam, commendare parasset, eius rei causa non magis circuitum loquendi, quam Allegoriae castimoniam, commendaturum fuisse. Haec illa est ratio, qua id, quod decoris gratia assumendum, *et decentius est*, exprimitur, et *quaedam, parum speciosa dictu*, explicantur, ut sentit Fabius, in octauo, Cap. VI. Eandem saepius adhibent scriptores *ἔρωτικοί*, cum, in re minus pudica, pudentius loquuntur. Catullum obscenitatis absoluit Iosephus Scaliger, et castius intelligit, quae ab illo de *Passere Lesbiae*, eiusdemque *Funere*, dicuntur. Optanda certe Poetae uidebatur haec castimonia, ne, de suo ipse flagitio confessus, offenderet iudicium castae posteritatis, apud quam alioqui, plus uno, uti loquitur, saeculo perennem, manere libellum suum, uolebat. Verum tamen aliter Catulli passerem exponit Martialis, cumque eum non commemoret magis, quam imitetur, tanto quidem facilius, praesertim re ipsa mone, nos adducit, ut his in uersibus quaeramus Allegoriam, cuius uerbis uerecundioribus res, parum uerecunda, pronuncietur. Probatum hic nobis Isaacus Vossius, sua saepenumero iudicii ille quidem, sed ideo non reprehendendus continuo, quod aliorum auctoritate, uti solent ignaui, cuncta non metitur. Ille uero, *nullum est*, inquit, *dubium, quin Epigramma hoc, licet uerbis scri-*

B

ptum



ptum sit uerecundis, magnam tamen contineat nequitiam, quam planis, et dilucidis, explanare uocabulis non est nostri instituti. Venit in mentem Melites illius, quae, amore incensa, apud Achillem Tatum, in quinto, sic affatur Clitophontem. καίωμα ὄφελον ἠδυνάμην δεῖξαι τὸ πῦρ. Et paullo post. ὦ πυρὸς μυσηίου πυρὸς ἐν ἀπορρήτῳ δαδουχουμένου. πυρὸς τοὺς ὄρους αὐτοῦ Φυγεῖν μὴ θέλοντος μυθηθῶμεν οὖν, ὦ Φίλιπτα, τὰ τῆς ΑΦροδίτης μυσήρια. Visa nimirum sibi est honestior illa, si rem, minus uerecundam, ἀλληγορικῶς, et tectius, efferret, ut de Didone apud Poetam, castissimae grauitatis, nullaque ullius uerbi licentia spurcum, est illud

*Est imas flamma medullas*

Tectius etiam, et μετωνυμικῶς, aequae, atque ἀλληγορικῶς, dixit Arthurus ille, Britannus, cum postridie, quam Catharinam, Ferdinandi filiam, duxisset, mane, poculo praeter consuetudinem postulato, mirantibus, qui adessent, *in medio*, inquit, *Hispaniae, quae calida est regio, fui.* Quod cum memoriae proditum sit a Baccone, qui de uita Henrici VII scripsit, hoc idem non nullis suspicionem praebuit, Catharinam, quae postea, mortuo Arthuro, huius fratri, Henrico VIII, est nupta, in huius amplexus uirginem non uenisse. Aliter tamen Sanderus, et alii, quos praetermitto. Ceterum illud, quod laudauimus, pudoris ac uerecundiae instrumentum in usum sanctiorem recepit sacrarum modestia literarum, ab aliis iam enarrata, nobis hic ueneranda, cuius exem-

exem-



exempla quaedam noua, ab aliis minus animaduersa, Hugo Grotius sibi uisus est obseruasse. *Ecclesiastes* enim ἀλληγορικῶς, et praeclare, senectutem, eiusque incommoda, Cap. XII describit, ut ex eo multo luculentius, quam ex aliis rerum documentis, intelligi possit id, uulgo quod dici solet, senectus ipsa morbus est. Hic in tanta interpretum uarietate, quae tralatas excepit sententias, illud, *Et oneri erit locusta*, alii exponunt de locusta, parua animante, quae si infederit debilibus, oneri sit, alii reddunt, *Et onerabitur dorsum, siue spina dorsi, onerabuntur lumbi*. Belga uero, quem nominauimus, *locustam* exponit *particulam salacem, quae berniam contrabat*. Inde *dissipabitur capparitis* eidem est *peribit libido*, ut sententia cohaereat cum priori. Per *hydriam* intelligunt alii cistam fellis, Ebraei interpretes, illa sanguinis conceptacula, quae sanguinem recipiunt, a iecore profectum. *Et conteratur hydria super fontem*, Grotius interpretatur, *Vesica minus contineat sibi creditum humorem*. Per *Rotam* alii accipiunt cranium capitis, quod in sepulchro confringatur, per Cisternam, siue puteum, cor, a quo uirtutes trahantur uires, aut cor, et hepar, ubi sanguinis, ac uitae, fons. Grotio, *Et confringatur rota super cisternam, est, alius minus respondeat temporibus suis, modo citatior, modo astrictior*. De qua interpretatione quid sentiendum sit, uiderint alii, ea quidem si careamus, illud tamen, scimus, ἠθικὸν εἶδος τοῦ λόγου, tralata continuatione signatum, satis in sacris



fore manifestum. Idem praeterea modesti moris praesidium, quod praebet Allegoria, capessit sapientum oratio, qua non solum sordes oris euitantur impuri, sed ratio etiam demonstratur eius, quod suis propriisque uerbis minus honeste possis, continuato sermone tralato, pronunciandi. Taceo tot probitatis, quae referatur ad Allegoriae dignitatem, testimonia, quot sunt boni moris doctrinae, tralatis, arcanisque, Pythagoreorum, atque aliorum, sicut ostendimus, traditae literis et consignatae

## IV

Prudentiam Allegoriae uindicant, confirmantque, breuiter, acute, sapienter, sed tralate, dicta, quibus non solum aliud, sed etiam plus, quam dicitur, intelligi oportet. His summi quisque ingenii, in summo fortunae cultu, utitur, his sapientiae paritur auctoritas, his plus saepenumero, quam copiosa oratione, efficitur, quae scriptores apophthegmatum proferunt, e nostris speciatim Iulius Guilielmus Zincografus, Christophorus Lehmannus, et alii, depromunt. Illam tamen, quam ostendimus, Allegoriae prudentiam maxime ista commendant tempora, quibus, cum uel non sine periculo, uel non sine offensione animorum, et minore audientium attentione, minore etiam horum emendatione, quaedam proprie, atque aperte, dicerentur, prudentis est et circumspecti, sub his uel ambagibus, uel integumentis, latitare. Hac mente M. Tullius in commercio literarum, quod cum Attico coluit, libertatem dicendi, qua in republica consueuerat uti, temporibus remisit, ac, uel periclitante, uel euersa iam republica, hoc cautius, quo occultius, et dixit, et scripsit. Sic autem agit cum ho-



homine, sibi familiarissimo, et coniunctissimo, quo intime uti, in cuius sinu animi sensa deponere, solebat. *Sed haec scripsi, inquit, properans, et mebercule timide. Posthac ad te, aut, si perfidelem habeo, cui dem, scribam plane omnia, aut, si obscure scribam, tu tamen intelliges. In iis epistolis me Laelium, te Furium, faciam. Cetera erunt ἐν ἀνιγμοῖς. lib. II, Epist. undeciesima. Idem in ea, quae insequitur, Epistola XX, De Republica, inquit, breuiter ad te scribam. Iam enim, charta ipsa ne nos prodat, pertimesco. Itaque posthac, si erunt mihi plura ad te scribenda, ἀλληγοείας obscurabo. Dicit hic ἀλληγοείας, quod supra dixerat ἀνιγμούςς. At illud generatim, hoc speciatiim, est dictum. ἀνιγμα enim est ἀλληγοεία obscurior, ut docet Fabius in octauo, Cap. VI. Quamuis autem non unum Allegoriae genus sumat Cicero, tamen illud, quod similitudine translationum nititur, ualde frequentat. Hinc illud, libro II, Epist. XXI, *Sed ita lenibus uti uidebantur uenenis, ut posse uideremur sine dolore interire.* Loquitur autem de ciuitate, Triumuirorum, Caesaris, Pompeii, et Crassii, dominatione oppressa. Et mox illud, *Equidem sperabam, ut saepe etiam tecum loqui solebam, sic orbem Reip. esse conuersum, ut uix sonitum audire, uix impressam orbitam uidere, possemus. Et fuisset ita, si homines transitum tempestatis ex-**

B 3 pecta-



pectare potuissent. Deinceps hoc de Pompeio, *Fractus animo, quo se conferat, nescit. Progressum praecipitem, inconstantem reditum, uidet.* Tum illud de eodem, *Nam, quia deciderat ex astris, lapsus, quam progressus, potius uidebatur.* Et postea, *Sic ego hunc, omnibus a me pictum, et politum, artis coloribus, subito deformatum, non sine magno dolore, uidi.* Omitto cetera, sed elegantiam in hoc admiror, *Si dormis, expergiscere, si stas, ingredi, si ingrederis, curre, si curris, aduola,* libro II, Epist. XXIII. Nihilo minore uel prudentia, uel uenustate, suam, ac patriae, fortunam, et item rerum, in Italia, statum, sapientissimo Eclogarum usu, expressit Maro, altissimi certe, in summa dicendi simplicitate, recessus. Seruius quidem Honoratus Allegorias, nisi de agris deperditis, admisit nullas, sed Ioannes Lodouicus Viues, acriori usus iudicio, inuestigata grauissimi ac prudentissimi poetae sententia, hunc, reperit, non in leuibus esse rebus occupatum, sed agresti et pastoritio sermone sensa multo altiora, quam Grammaticorum uulgus arbitretur, et res illorum temporum cognitione dignissimas, complecti. Hoc ipsum testari opus, docet, quod a poeta, pleraque omnia a Theocrito mutuante, triennali nihilo secius expolitione sit limatum, quod florentissimis Romanorum ingeniis, Corn. Gallo, Asinio Pollioni, Varo, Tuccae, atque adeo ipsi Augusto, nullo rerum humilium studio duci solitis, elucubratum, quo tantorum uirosum et captata tum gratia, et inita, in quo elegantes et artificiosae imagines, simu-



simulacris abditae Silenorum, multum suauitatis habeant, ac res plerunque loquantur ipsae, hic *non simpliciter dici, sed figurate*. Iis de causis Viues ipse, secutus Graecos, qui Homerum sic exposuerunt, secutus Donatum, qui Terentii, ac Virgilio ipsius, aperuit consilia, ad reconditas Bucolicorum sententias nauiter eruendas sese contulit, ut *praestantioribus ingeniis, sicut ait, uelut pastum quendam, illis congruentem, depromat*. Aesopus etiam, huiusque interpres, atque imitator, Phaedrus, cum fabulis utuntur, ingeniosa rerum similitudine uitam hominum docent, sensuque malorum, quae exceperant, admoniti, hominum, temporumque uitia, quorum reprehensio erat periculosa, *ἡδυνῆ, quam dixerim, ἀλληγοεῖα* tectius castigant. Ipse, quem laudauimus, Augusti libertus, instituto fabularum declarato, per eas, ait, *risum moueri, et prudentis uitam consilio moneri*. Praetereo Satyrarum scriptores, omnis sapientiae resperfos sale, Horatium, Persium, Iuuenalem, quibus saepe numero tutius uidetur, per illa translationum integumenta, quam aperte, aetatis suae corruptelas, magnitudine peccantium munitas, insectari. Me tamen, admiratione sui captum, iniecta quasi manu, moratur Venusinus ille, cum, Ode quarta decima libri primi, luculentum artificii, ac prudentiae, prodit exemplum. Affatur nauim, quam non nulli de Bruto, ciuile bellum comparante, exponunt, atque ita carmen inscribunt ipsum. Hic tamen simul ambigitur, Brutumne, an sextum Pompeium, Magni filium, pleraque carminis illius petant. Praestat auctoritate Fabius, quo, in octauo, interprete,

te,



te, nauim pro republica, fluctuum tempestates pro bellis  
 ciuilibus, portum pro pace atque concordia, dixit ille  
 Poeta uero in ea incidit tempora, quibus, euersis iam  
 Pompeianorum rebus, ne inter Antonium quidem,  
 atque Augustum, conueniret. Intellexit etiam, quan-  
 tum discriminis adeat respublica, quam delenda sit  
 funditus, nisi domestica bella, quae illam diu multum-  
 que affligerint, redintegrata quadam concordia et fir-  
 mata, sopiantur. Quare caritate salutis publicae, ma-  
 lorumque imminentium solitudine, commotus, pa-  
 cem animorumque conciliationem suadet, detri-  
 menta, quae ex turbis oriantur intestinis, uel prae-  
 sentia iam, uel futura, demonstrat, et, quod aperte  
 nolebat dicere, id *pulcherrima* operit *Allegoria*, uti  
 uisum est Laeuino Torrentio, uiro apprime docto. Non  
 ignoro, quid Tannequidus Faber, quid ante hunc Mu-  
 retus, nuperque Richardus Bentleius, acutus, et elegans,  
 interpretum Horatianorum castigator, hic notarint.  
 Etsi uero singula, quae intuetur Horatius, ut in re, con-  
 sulto dissimulata, minus sunt expedita, tamen alienum  
 uidetur de ipsa loci huius Allegoria dubitare, quam  
 non solum enarratores Horatiani agnoscant, sed ipse et-  
 iam Fabius, auctor, pluribus de causis, non spernen-  
 dus, in exemplum laudet, et probabilis instituti ratio,  
 decorusque partium contextus, ac iudicia eruditorum,  
 tot saeculis confirmata, tueantur. Habuit autem ille,  
 quorum aemularetur prudentiam, Graecos poetas. Re-  
 citat Heraclides Ponticus Alcaei, poetae melici, atque  
 Archilochi, carmina, illius quidem, Myrtilum, tyran-  
 num, ac patriae statum, occultius describentis, huius au-  
 tem, suam Thraciaeque fortunam, consimili ratione, de-  
 plo-



plorantis. E ceterorum memoria temporum attingo, propter nominis famam, Ioannem Barclaium, antiqua stirpe Caledonium, natalibus Mussipontinis Gallum, sed plurimum gentium elegantia prudentiaque cultum, cuius Argenis ad Allegoriae componitur exemplar, cum ea res Gallicae, harumque status, sub commentitiis nominibus, non sine uoluptate, referantur. Nec uero nihil huc spectat eiusdem Satyricon, in quo, cum, Euphormionis nomine abditus, latitat ipse, tum uaria, neque inuenusta, inuersione, Rerumpublicarum, ac Principum, Europae uirtutes, uitia, erroresque, persequitur, quamdamque Petronii tam eloquentiam imitatur, quam libertatem. In utroque autem opere tam diligenter occultata saepius est scribendi ratio, ut, nisi clauae, quam dicunt, adhibita, intelligi non possit. Idem comperimus in Casaubonianis, Salmasianis, aliisque iuniorum, epistolis, in quibus multa, hoc prudentiae genere, dissimulantur. Sino tot alios, ex his tamen, propter insignem scribendi nitorem, cauendique solertiam, nomino Ianum Nicium Erythraeum, sub cuius persona absconditur Ioannes Victorius Roscius, qui animi sensa eodem dissimulandi artificio saepius inuoluit, cum in epistolis, tum in Eudemiae fabula, qua perditos Aulae Romanae mores exagitauit. Diuini Britannis ingenii uidetur Ioannes Miltonus, cuius praeclarum opus inscribitur *Paradisus Amissus*, sed Allegoria, qua compositum est, statum illius regni, ea tempestate, magna rerum conuersione, afflictum, dissimulanter adumbrat

## V

Amorem autem dum, non uulgari modo, enunciat, eum facile et parit sibi, et, illa, quam habet, suauitate auctum, cumulat, Allegoria. Nam, cum omnis,

## C

CX



ex qua genus dicendi ἀλληγορικόν coalescit, μεταφορὰ nouitatem, cum eaque coniunctam, afferat, uoluptatem, tum, in argumento beneuolentiae, per se iucundo, hoc plus capietur uoluptatis, quo exquisitiores erunt suauioresque translationes, a quibus et sumitur haec inuersio, et sumi, in tanta rerum multitudine, potest. Quae quidem deliciae quantis animos illecebris irretierint, existimari potest, quod, cum ab inopia uerborum, et necessitate, manuerit translatio, eadem deinde ad delectationem, ornamentumque, sit transducta, ut scriptum reliquit M. Cicero, in III de Oratore. Tanto facilius haec suauitas hominum uoluntatem non solum adiunxit sibi, sed etiam peruertit, adeo, ut conqueratur, in octauo, Fabius, in his inopinatis, aetate sua, nullum haberi modum, gratiamque rei, deprauatis hominum studiis, esse corruptam. Praeterea fatietatem taediumque saepius afferret oratio, uberius explicanda, nisi necessitati et molestiae eadem iterandi uerba succurreret Allegoria, et, uario ac multiplici translationum usu, rationem dicendi commutaret, multumque, noua semper dicendi similiter uarietate copiaque, delectaret. Hoc igitur plus ad conciliandum ualet Allegoria, quo magis dubitari potest, maiusne honestatis, an prudentiae, an suauitatis, adiuuentum ea contineatur. Hic certe multum commendationis, omni ex parte, suppetit seseque prodit, siue materies, a qua sumitur Allegoria, respiciatur, seu audientes, qui ea capiuntur translationum continuatione, considerentur, siue denique morum amabilium, quos, miram conditos suauitate, rei gratissimae artificium ornat, ratio spectetur

**EXPLICITA EST DISSERTATIO SECVNDA**



# ORIGINES MARCHIAE BRANDEBURGICAE

## I



Archiae Brandenburgicae origines, et potentiae ibi fundatae primordia, nobis exponere parantibus, continuo succurrit Prouinciae Vandalicae nomen, quod horum quidem temporum publica non tuentur monumenta, crebro tamen scholis suis eruditi, Albertum Cranzium secuti, adhibuerunt. Iubet istud appellationis genus, antiquae rei Geographicae memoriam replicari, quaeque ueterum fuerit Germanorum Vandalia, paululum inuestigari, quo, an iusta sit et idonea satis comparatio, rectius intelligatur.

## II

Vandalia ueterum longe lateque patuit, in primis, si Sueuia, descripta, e graecis Straboni et Ptolemaeo, e latinis, Caesari, Plinio, Tacito, paria faciat cum ista, ut, post Hugonem Grotium, in Prolegomenis ad Historiam Gothorum, Procopio praemissam, non nequicquam alii quoque arbitrantur. Commune utriusque incolis nomen ab Excursionibus, de quibus egregie in rem nostram Caesar. *Sueuorum, inquit, gens est longe maxima et bellicosissima Germanorum omnium. Li centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula millia armatorum, bellandi causa, suis ex finibus educunt. Reliqui, qui domi remanserint, se atque illos alunt. Hi rursus inuicem anno post in armis sunt, illi remanent.* Hactenus Caesar, L. IV. C. I. de B. G. Sueuia

A

uero



uero per totam maris, ut postea dictum est, Balthici oram, a Danubio ad Albim et Vistulam, amplissimis tractibus porrigebatur, ingentes pagosque plurimos diuisa.

## III

Marchiae speciatim Brandeburgicae ex antiquis Sueviae gentibus conueniunt Semnones, uetustissimi et nobilissimi Sueuorum, ut ait Tacitus, quos Sueuis Anglis Ptolemaeus, L. II. C. II. Geogr. ortum uersus, uicinos facit, collocatque post Albim. Similiter Velleius Paterculus Lib. II. C. VI. *Albis*, inquit, *Semnonum, Hermundurorumque, fines praeterfluit.* Recte igitur Godefridus Guilielmus Leibnitius, Tom. I. Script. Brunswicensium, ad C. XXXIX. Germaniae Taciti, p. 13. notat, Semnonas ad Huelam, Spream, Viadrum, inhabitasse Marchiam Trans-albinam omnem, Pomeraniae partem cum Lusatia.

## IV

Sec. V. salutaris ortus ex his terris excessit magna uis gentium uariarum, Prouinciae Rhenanae in primis, tum et Galliae et Hispaniae, funesta, quae Vandalorum, Sueuorum, Alanorum, aliorumque populorum, nominibus continebatur. Rei gestae fides penes Hieronymum Ep. XI. Procopium de bello Vandalico, Isidorum in breui Historia Vandalorum, Zosimum Lib. VI. C. III. Idacium in Chronico, et alios. Exinde potentissimum in Africa regnum Vandalicum, a Belisario seculo sequenti subuertendum.

## V

Elegans est, nec aliena prorsus ab instituto praesenti, obseruatio doctiss. Antonii Pagii, in Critica ad Annales Baronii Tom. II. ad Annum 407. n. XVI. seq. quam et alio loco repetit, medi aevi scriptoribus, post ingentem hanc Vandalorum mi-  
grati-



grationem, omnes Barbaros Vandalorum nomine uenire, unde et Hispania aliquandiu appellata sit, cum Mauris iam inco-  
leretur, Vandalia, uestigio huius nominis adhuc superstite.

## VI

Sedes autem, quas Vandali reliquerant, ceperunt Venedi, seu, qui doctioribus iidem uidentur, Heneti, quos quidem eosdem ac Vandalos esse, existimant Scriptores non ultimae notae, perpetuo uero, et, conturbatis gentium migrationibus, mendose, permiscet Albertus Kranzius in Vandalia, ut periti-  
oribus constat. Cautè tamen esse distinguendos illos, ex probatae fidei monumentis docuerunt, Henricus Bangertus ad Helmoldum L. I. C. II. p. 9. seqq. Hermannus Conringius, de finibus Imperii. C. XVI. Conrad. Samuel Schurzfleischius, in erudita de Slauis dissertatione §. 7. et Antonius Pagi, in Critica ad Annales Baronii, Tom. IV. ad Annum 965. n. IX. p. 11. Tacitus de moribus Germ. C. XLVI. Venedos extra Sueuiam, atque adeo Germaniam, collocat, Ptolemaeus aperte ad Sarmatas refert. Vindili uero apud Plinium, Hist. L. Nat. IV. C. XIV. Germani sunt, et a Sueuis Taciti neutiquam diuersi. quod argumento esse possit, Vandalos et Sueuos esse eosdem.

## VII

Venedi isti, VVinithi, VVinuli et Heneti, notiori communiorique nomine Slaui appellantur, quorum mentio prima apud Procopium, qui Slauios memorat, occurrit, ut dudum obseruatum Viris doctis. Eos a Germania Albis fluuius discernebat, quem tamen saepius sub Imperatoribus Francicis transgressi, compluribus bellis praebuere materiam, de quibus hic dicere non attinet. Slauiorum distributionem, ductu Helmoldi, studiose edisseruit doctissimus Bangertus l. c.



## VIII

Ad Hauelam Fl. Hauelani siue Heuelli confidebant, fortes bello ac feroces. Cum his bellum fuit Henrico, Germaniae, e Saxonibus, Regi, qui, uindicaturus auxilia Slauorum Hungaris lata, in Heuellos irruit et castrum eorum Brennaburg, situ loci et arte munitissimum, tempore in primis oportuno, cum gelu omnia rigerent, cum omni regione cepit, ut auctor est VVitichindus, Monachus Corbeiensis, Lib. I. p. 636. apud Meibomium Tom. I. Script. German.

## IX

Cum gentes Slauicae, duriter quamuis castigatae, facilius tamen ad pristinam ferociam solitae sint redire, limitem Slauicum custodiendum obseruandumque tradidit Henricus Rex Sigfrido, Comiti Merseburgensi, Regis in Saxonia Legato, quod elogium ei tribuit Ditmarus Merseburgensis, L. II. Id uero, quod de limite Slauico diximus, non inepte colligitur ex uerbis VVitichindi: *Sigfridus Saxonum optimus, et a Rege secundus — Saxoniam procurabat, ne qua hostium irruptio interrim accidisset.*

## X

Lubentes autem, contra uulgatam opinionem, damus Doctiss. Gundlingio, quod iam Sagittario obseruatum, ex uerbis VVitichindi, nulla prorsus ratione, exsculpi posse, Sigfridum titulo Marchionis Brandeburgici ab Henrico decoratum, huicque prouinciae tanquam Procuratorem datum fuisse, qui potius Marchio Saxoniae dicendus sit. uid. in Henrico Aucupe §. XXII. N. V. p. 162. seqq. Alia mens est auctoribus nonnullis recentioribus, quibus Siffridus primus Marchio audit Brandeburgicus, et Comes insuper Ringelheimensis, nullo idoneo Historiae probatae fun-



fundamento. Vulgares annalium Conditores, quos testes aduocat Giouanni, in Germania principe L. II. C. II. p. 536. nihil ualent ad faciendam huic rei fidem. Videtur etiam ideo Vir doctus sententiam emendasse, in peculiari dissertatione de Henrico Aucupe, quam sub eius praesidio defendit Simon Frid. Hahn, Vir Cl. p. 27. seq.

## XI

Quaesivit idem l. c. suo ne, an S. R. Imperii, nomine Henricus occupauerit Vandalianam, imo an Sifrido Marchia iure haereditario concessa sit, fueritque Saxoniae feudum. At, quod ad primum attinet, uidetur totum Henrici bellum non ideo susceptum, ut nouas terras acquireret, sed ut puniret tantum Slauos, Hungarorum socios, faceretque tributarios. Certe, quod uel Saxoniae, uel Imperio, adiecerit Slauicum solum, historia eius temporis tacente, quis tuto affirmabit? Praeter tributa, genti imposita, nihil memorant Witichindus, in Annalibus Lib. II. Sigebertus Gemblacensis ad annum 925. imo Ditmarus Merseburgensis Lib. I. apud Leibnitium Tom. I. Scriptorum Brunswicensium p. 326. Heuellos speciatim statim post uictoriam Henrici rebellasse, testatur. Otiosae igitur sunt quaestiones reliquae, cum, Marchiam Brandenburgicam tum fuisse institutam, iustis argumentorum rationibus nondum sit euictum.

## XII

Ulterius progressus est Ill. Cocceius, qui in Prudentia Iuris publici C. III. Sect. V. §. 12. testimonio Dauidis Chytraei, Chronici Carionis et Albini, Sigfridum, Augustae Fratrem et Comitem Wettinensem, Witekindei generis, facit, in quo tamen aduersantem habet Witichindum, scriptorem coaeuum, qui Sigfridum consobrinum fuisse memorat Haduidae, uxoris Henrici, huicque ideo adfinitate coniunctum, de quo



eleganter differit Celeb. Gundlingius l. c. Comitum deinde Wettinensium nulla tunc temporis mentio in Historia, sed isti propago fuerunt Illustrissimae et perantiquae gentis de Tribu Buzici, ut constat ex Ditmaro Merseburgensi L. VI. et Chronico Montis sereni.

## XIII

De Ottone M. Henrici Filio, memoratu dignum est, quod tradit Adamus Bremensis, L. II. Historiae Eccles. C. III. *Fortissimus Rex Otto uniuersos Slauorum populos suo subiicit imperio. Et, quos Pater eius uno grandi bello domuerat, ipse Otto deinceps tanta, Dei adiutorio, potentia constrinxit, ut tributum et Christianitatem pro Vita simul et PATRIA libenter offerrent Victori.* Insignis imprimis in hoc bello Slauico extitit opera Geronis, Orientalium Marchionis Lufizi et Selpuli, ab Henrico constituti, ut tradit Ditmarus Lib. II. p. 333. quod etiam affirmat Witichindus Annalium Lib. II. qui saepius Slauos, a Gerone uictos, memorat. Quem igitur iure sibi uindicat Lusatia, eum recentiores et Marchiae Brandenburgicae praefectum fuisse tradunt, idque per coniecturam, liquido testimonio destitutam. In quo tamen tam inique agunt cum Marchia Lusatia et Misnensi, ut, cum deinceps Ducis titulum Geroni tribuant, nihil inde Lusatiae uel Misniae accessisse credant, sed, solam Marchiam Brandenburgicam iustum ducatum fuisse, magna animi confidentia asseuerent. Aiunt enim, Marchionem tum nudi officii nomen fuisse, quod ad extrinsecam Ciuitatis administrationem et modum, non ad formam et statum, pertinuerit, unde Lusatia et Misnia nunquam iura Ciuitatis germanicae acceperint, sed manserint iuris Slauici. At in eo Viri docti sua uineta caedunt. Gero enim respectu Slauorum nunquam Dux appellatur, sed Marchio, ut habet Charta Gallensis apud Goldastum Tom. III. Scriptorum Alemannicorum p. 65. *Gero Comes Saxoniae et Marchio contra Slauos*, quod hic quasi in transcurso monemus.

## XIV



## XIV

Istud extta controuersiam positum est, deuictis Slauis, Ottonem serio in id incubuisse, ut ad disciplinam Christianam barbaras gentes traduceret. Constituit igitur in Castro Huelberg et Brandenburg sedem Episcopalem, et utramque Moguntinae Metropoli subiectam esse iussit, ut uult Chronographus Magdeburgensis, apud Pagium in Critica ad A. B. Tom. IV. ad An. 967. n. VII. p. 17. quodque confirmat Pagius ex Ditmaro, ad cuius mentem Episcopatus Brandenburgensis annis XXX ante Magdeburgensem Archiepiscopatum cepit initium. Quod uero Geroni Marchioni cura et tutela harum Ecclesiarum tradita fuerit, ut et Marchiam hanc Brandenburgicam cum Lusatica *procurarit*, temere quidem non nego, attamen, inopia probatorum satis monumentorum, non affirmo tanquam rem dubitationis expertem.

## XV

Geronem hunc Witichindus L. III. *Praesidem* notabili phrasi nominat, Ditmarus uero Lib. II. p. 334. *Defensorem Patriae*, non tantum ideo, quod Slauis praefuerit, sed et, quod Legati Imperatorii dignitatem per Saxoniam sustinuerit, quod nos docet Ditmarus L. II. p. 331. *Discordia quoque inter conciuēs consociosque oritur non minima, quae Tammonem Regis et Luidgerdae concitauit filium, eo, quod Legatio Sifridi, Comitis Merseburgensis, quam sibi idem uindicauerat, Geroni sit tradita Marchioni, hereditasque materna sit ei prorsus ablata.* Causam harum discordiarum nobis diuersa prorsus ratione exponunt recentiores, cum quibus haud obscure facere uidetur dociss. Pfeffingerus Tom. II. Vitiarii illustr. Tit. XVII. p. 629. Aiunt enim, defuncto Sigfrido, Marchiam inuasisse Tanquardum, uel ut VVitichindo dicitur, Tanctmarum, ab Ottone M. iterum pulsum, qui



qui Marchiam tradiderit Geroni, quod nobis, hic superiorem Ditmari locum respicientibus, recitasse sufficiat.

## XVI

Maius est Elogium *Ducis*, quod Geroni interdum tribuitur, sed ex indole horum temporum, et longe aliter aestimandum, quam quidem placuit nonnullis aeui nostri Consultissimis Viris, quibus iste titulus multarum coniecturarum extitit foecundissima mater. Translata Ducatus dignitas in Marchiam quoque, ut supra iam indicauimus, ex colonis Germanis, Germano Duce et in solo Germanico, conditam, Germaniae igitur Prouinciam Ducalem, proprio iure et potestate utentem regnoque mediate subiectam, Auctore huius amplissimi decoris Henrico Rege. Ita fere Cocceius l. c. Christianus Thomafius ad Monzambanum C. III. §. III. lib. c. p. 162. et alii. In primis hanc sententiam suam fecit Io. Petrus Luduigijs, multoque eruditionis apparatu exornauit, in dissertatione de Formula Brandeburgici Ducatus, Halis 1706. edita.

## XVII

Praefert autem hunc titulum monumentum, in Coenobio Gerenrodensi Geroni positum, quod Gero instituit, suoque nomine appellauit, ut legitur apud Ditmarum L. II. p. 334. Habet etiam eundem Chronicon montis sereni, quod Maderus in lucem edidit, suaeque scriptorum Lusaticorum collectioni inseruit Christ. Godofredus Hoffmannus V. C. ad A. 1171. p. 44. *Temporibus primi Ottonis Imperatoris duo fuerunt Fratres, Gero Dux et Marchio, et Sifridus Comes.* Nunquam tamen apud Ditmarum, Vitichindum, uel in Diplommatibus Ottonis, quae utilissimo studio collegerunt Caspar Sagittarius et Ioh. Christ. Becmannus, Ducis Elogium habet, sed *Gero Marchio Comes* simpliciter audit

## XVIII



## XVIII

Ipsum monumentum diligentissimus Becmannus, prout istud hodieque in Gerenrodensi Templo extat, aeneis tabulis exprimendum fideliter delineandumque curavit, cuius inscriptionem liceat hic exhiberi.

ANNO· DONI· DCCCCLXV· XIII· KALENDAS· IVLII  
 OBIIT· ILLVSTRIS· DVX· ET· MARCHIO· GERO  
 SAXONVM  
 HVIVS· ECCLESIAE· FVNDATOR· CVIVS· ANI· RE  
 QUIESCAT· IN· PACE· AN

Mirum quantum autem discrepat in dispositione uerborum Epitaphium apud Cel. Luduigium, quod hic, pace illius, silentio transmittendum, non duco, l. c. lit. b. p. 35.

GERO DVX ET MARCHIO FVNDATOR ECCLESIAE  
 SAXONVM ANNO DNI DCCCCLXV. XIII. KAL. IVLII  
 OBIIT ILLVSTRIS DVX ET MARCHIO HVIVS EC  
 CLESIAE FVNDATOR CVIVS ANIMA REQUIESCAT  
 IN PACE AMEN

Ex hac uero inscriptione, uti eadem apud Becmannum legitur, quid confici possit pro ducatu Marchico, prorsus non intelligo. Si Gero Dux et Marchio Saxonum fuit, quid hoc ad Marchiam Brandenburgicam? Imo, cum Ducatus Saxoniae penes ipsum tunc temporis fuerit Imperatorem, secus ac nonnullis persuasum est, quis, Geronem, crederet Saxonum Ducem sensu proprio, quo Dux dignitatis nomen est, cum excellentia Iuris et possessionis, appellari? At contendit Cl. Luduigitus, cum, Kranzio teste in Vandalia L. II. C. 26. uariae Saxonum Coloniae emigrarint in Marchiam subactam, Geronem haud dubie, huius populi causa, dici Saxonum Marchionem. Sed uix crediderim, hanc coniecturam sufficere apud aequos harum rerum iudices, quae insuper Kranzio nititur,  
 B scri-



scriptore recentiori, et teste in hoc negotio minus idoneo. Imo sententia, opinioni huic contraria, perspicitur ex supra allato loco Adami Bremensis, qui uix permittit, ut Slauos *Patria* eictos putes, quod subinde perhibent uiri docti. Vt libere dicamus, quod sentimus, totum hoc Epitaphium dignitatem testimonii non sustinet, quippe longo post Geronem interuallo positum, et ab Augusto Principe, Anhaltino, honori memoriaeque conditoris, instauratum, ut probe, in re ex instituto acta, animaduertit Becmannus l. c. p. 174. huius certe argumenti quam peritus, tam diligens, et, ut spero, extra partium studium positus. mirum tamen, ab eo nullam Ludeuigianae Formulae mentionem fieri. Fauentem interim Vir doctus in hac sententia stylum diplomaticum habet, qui, ad Epitaphium comparatus, clare ostendit, scripturae genus spectare ad Sec. XIV. uid. Io. Mabillonium de Re diplom. Tab. XV.

## XIX

Si fidem porro Diplomatum sequamur, quae Becmannus, in Chronico Anhaltino Part. III. L. I. C. VII. p. 167. seqq. exhibet, diserte cogimur negare, Henrici et Ottonis M. temporibus, Geroni nostro Ducis titulum adscriptum fuisse. Unde Magnifico Gribnero, in doctissimo de Gerone Marchione Programmate, subdubium et ambiguum uidetur, utrum illi, qui primum Ducis titulo insigniuerunt Geronem, ad Lusatiam, cui praefuit, an ad gentis, ex qua ortus est, fastigium respererint; utrum propter Ducatus Saxonici administrationem, ipsi concreditam, an denique propter muneris et officii grauitatem, et ob praestitam Impp. Henrico et Ottoni aduersus Slauos, aliasque gentes, operam, Dux fuerit appellatus. Multum quoque hic tribuendum crediderim adulationi Monachorum, quibus facile fuit, pro tantis beneficiis, in se collatis, reponere Ducis Elogium.

## XX

Alia tamen sentire iubemur, si ex stylo ueterum Romanorum

norum



norum, apud quos Dux et Comes Limitaneus paria faciunt, sententia ferenda est de temporibus, ut uocantur, Post-Carolingicis. Secundum hunc enim et propter officium limitaneum Gero Dux appellari meruisset. Ducum horum limitaneorum mentionem iniiciunt Aelius Lampridius in Alexandro Se- uero C. LVIII. Tom. I. Script. Hist. Aug. p. 1024. ubi, limitaneis Ducibus et militibus ea, quae ab hostibus capta fuerant, rura donasse Imperatorem, memorat; et doctissimus Isaacus Casaubonus, in notis, feudi quandam speciem probe aduertit. Valerianus, in Epistola ad Gallos apud Trebellium Pollionem, de tringinta Tyrannis in Vita Postumi senioris Tom. II. Scriptorum Historiae Aug. p. 259. seq. *Transrhenani Limitis Ducem et Galliae Praesidem, Postumium, fecimus, uirum dignissimum seueritate Gallorum.* Adicienda his sunt, quae habet Notitia dignitatum utriusque Imperii C. LXXVIII. Tomo VII. Thesauri Graeuiani, et, quae ibidem praeclare Pancirollus, aliique Iuris interpretes ad Codicem Theodosianum, annotarunt. Si igitur Romanorum moribus hic stare uelimus, ipsius Consultiss. Luduigii sententia, Marchio, siue Dux limitaneus, praefectus erit, cui limitis cura precario iure ab Imperatore fuit demandata, addo, interdum feudi loco concessa; quae tamen parum faciunt pro Gerone, eiusque in S. R. Imperio dignitate ducali. Constat enim exemplo non uno, quod et antiqui rerum germanicarum scriptores non satis sibi cauerint ab isto scribendi genere minus apto, quo res germanicas stylo Romano describunt, qui moribus germanis non respondet. Proinde fac, Geronem in Epitaphio Gerenrodensi, stylo romano, Ducem appellari, idque ideo, quod limiti fuerit praefectus. Ob hanc tamen causam locum non obtinebit inter S. R. Imperii Duces, quales erant, sub Saxonis Imperatoribus, Duces Saxonum, Francorum, Alemannorum etc. prius, quam probaueris, et terram ipsam iuris Germanici fuisse, et inter Prouincias S. R. Imperii relatam.



## XXI

Sed illud maxime enititur Cel. Luduigijs, ut ex diplomatis ei, quam exposuimus, sententiae contrarium euincat. Maximum autem momentum ponit in diplomate Imp. Ottonis I. quo Magdeburgensi Episcopatu Anno 962. donat oppida Luborn et Tuchim. Ipsum enim Geronis Epitaphium argumenti vim prius non obtinere, ipse haud obscure innuit §. IV. not. b. p. 35. quam consensu reliquorum argumentorum, in primisque diplomatum, confirmetur. Quocirca hoc diploma tanti ponderis ipsi est, ut literarum clientelarium, hodie quidem perditarum, quibus Brandeburgicum Ducatum Geroni Otto concesserit, uicem, sicut Ille arbitratur p. 38. not. e. praestare possit.

## XXII

At, quamuis Viri doctissimi fide, quam praesertim aliis in locis Archiuorum auctoritate stipare solet, niti, nec inuiti, uellemus, minus tamen assequimur, ubinam legatur in laudato Ottonis diplomate: *Geronis Marchionis Ducis Brandeburgici.* quod quidem colligit ipse, cum ibidem: *Habes itaque, inquit, Ducem Brandeburgicum ipsius Caesaris Elogio, quo maius sperari non potest.* Idem Vir Celeberr. conficit ex testimonio Chronici Lauterbergensis, quod supra in medium produximus, idque ex Poppenrodio, Chytraeo, Kranzio, confirmat, qui tamen in hac controuersia, auctoritate destituuntur. Obseruatu quoque dignissimum est, quod Hornius noster, etiam post fata celebratissimus, contra hoc ipsum Ottonis diploma, submouit, in dissertatione de Burggrauatu Magdeburgico §. X. p. 13. seq. *nihil in illo*, prout istud integrum exhibetur apud Leuberum de Stapula Saxonica n. 160. et, quousque ad res Magdeburgenses referri potest, apud Sagitarium in Antiquitatibus Magdeburgensis



gensis Episcopatus §. 79. p. 34, qui, harum rerum longe scientissimus, ad MS. Codices prouocat, *nihil, inquam, plane de Duce Gerone haberi, sed eo loco, quo uox DVCIS reperiri dicatur, τὸ DVAS* legi. Ita enim uerba laudati diplomatis apud Cel. Ludeuigium. CONSILIO POPPONIS VVIRZBURGENSIS ECCLESIAE EPISCOPI ATQVE GERONIS MARCHIONIS DVCIS emendat uir quondam doctissimus, atque ex serie uerborum confirmat: *Otto, diuina fauente clementia, Imperator Augustus --- Consilio Popponis, etiam VVirciburgensis Ecclesiae Episcopi, atque GERONIS MARCHIONIS DVAS CIVITATES nostrae regiae uel Imperatoriae proprietatis, Luborn et Tuebime nominatas, in occidentali parte Albiae fluminis, et in pago Moroszanorum sitas, atque in Comitatu PRAEDICTI MARCHIONIS GERONIS, cum omnibus appendiciis suis, Deo, sanctoque martyri Mauritio, nostro scilicet Patrono in Magadaburg, liberaliter transfundimus et donamus.* Hactenus ille. Dolemus autem, pro nostro huius antiquitatis studio, Consultissimo Formulae Ducalis Brandenburgensis Assertori integrum non fuisse, totum donationis Ottonianae libellum recitare, quod quidem nos cum Eruditis maxime optassemus. Sic enim spes suberat, fore, ut DVCEM BRANDEBURGICVM, quem in Ottonianis uerbis, hic editis, desideramus, reperiremus forte, eademque simul opera id disceremus, quod nulladum mediæ aevi Geographia nos docere potuit. Quamuis enim Brennaburg oppidum a VVitichindo, et Episcopatus Brandenburgensis a Ditmaro, commemorentur, nondum tamen edocti sumus, a quoquam ueterum *Ducatum Brandenburgicum* nominari, nedum Sec. X, cum nec *Marchio de Brandenburg* nobis, nisi extremo fere Sec. XI, occurrat. Cum autem caetera eiusdem diplomatis, hic recensiti, cum Leuberiana et Sagittariana editione, si Hornianam excipias emendationem, per omnia conspirent, peruellemus in primis scire, utrum Ludeuigiani Scriuii libellus illud pari modo exhibeat: IN COMITATV PRAE



DICTI MARCHIONIS. *Praedicti*, inquam, ut constaret tum, MARCHIONEM supra nominatum fuisse, non DVCEM.

## XXIII

Addidit Cel. Luduigijs l. c. lit. e. p. 36. argumentum novum, in diplomate, apud Hoppenrodium s. Poppenrodium p. 423, titulo Marchionis Ducis praemitti formulam *Dei gratia*, quam male congruere existimat cum militari praefecto, *einem Sächsischen Officirer*, qualis est Gero ex mente nonnullorum. Verum hic merito animi pendent alii, an ullum bonae fidei diploma extet, in quo ista formula legatur cum Elogio Ducis. Quid enim Poppenrodus, pro fide sua minus tuta, ex suo subinde fecerit ingenio, de eo hic secure tacemus. Ipse Gero in literis foundationis Coenobii Gerenrodensis, quas ex authentico exemplari restituit Becmannus l. c. p. 168. ita: *In nomine sacrae et indiuiduae trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen. Ego Marchio Gero, diuina fauente clementia, omnibus Christi fidelibus etc.*

## XXIV

Has rerum temporumque tenebras emensi, propius nunc accedimus ad historiae lucem. Sub Ottone II. ita pergit Ditmarus Lib. III. p. 345. *Gentes, quae, suscepta Christianitate, Regibus et Imperatoribus tributariae seruebant, (en tibi gentes tributarias, non expulsas) superbia Thiedrici Ducis aggrauatae, praesumptione unanimi arma commouerant, quod Patri meo Sigefrido, priusquam feret, reuelatum ---- Quod etiam III. Cal Iulii scelus, percusso in Havelberg praesidio, destructaque ibidem Episcopali cathedra, primum exoritur. Transactis autem trium spatiis dierum, Sclauorum conspirata manus Brandenburgensem Episcopatum, XXX. annis ante Magdeburgensem constitutum, cum iam prima sonaret, inuasit, fungiente prius tertio Antistite eius Volcmere et defensore eius*  
Ibie-



*Thiedrico, ac militibus ipsa die uix euadentibus. Primum igitur hic habemus Marchionem, limiti illi Slauico praepositum, spectata uoce ratione officii, non dominii, quem Ducem, phrasi haud dubie militari, appellat Ditmarus, quemque paulo post defensorem tantum Episcopi Brandenburgensis facit. Ipsa autem Slauorum rebellio suppressa quodammodo fuit a Thiedrico, reliquisque Saxoniae Principibus, ut cognoscas ex Ditmaro cit. loco, et Chronographo Saxone ad An. 983. Brennaburgum autem tunc iterum receptum, uix crediderim. Sub Ottone III. Chronographus Saxo ad Annum 990. memorat, Regem, cum magno exercitu Saxonum, Brannenburg obsedisse et demum uicisse. Modum rei nos clarius edocet Ditmarus L. IV. p. 352. Sed quia superius destructionem Brandenburgensis Ecclesiae dixi, nunc, qualiter ad tempus praefato subderetur Regi, breui explicabo. Fuit in nostra uicinitate quidam miles inclytus, Kiza nomine, qui a Marchione Thiedrico aliter, quam sibi placuit, habitus erat. Ob hoc, et quia facultas suae nequaquam impietati suppeteret, ad hostes perrexit nostros, qui in omnibus sibi nimis fidelem cognoscentes, supra memoratam urbem, nobis satius ad nocendum, eidem commiserunt. Hic postea (Anno sc. 993. ut habent Annales Hildesheimenses apud Leibnitium l. c. p. 720.) nostris delinitus blanditiis, eam regiae potestati cum semetipso tradidit. Vnde Luitici, nimio furore succensi, eum cum omnibus, quas habebant cateruas, illico petebant. Interea Rex in Magdeburg fuit, et cum hoc comperiret, quos ibi tunc habebat, celeriter eo misit, Ekkibardum Marchionem, et tres auunculos meos, Henricum, Vdonem et Sigfridum cum Friderico Comite Palatino, et Patruo meo. Et hi omnes, eo cum suis uenientes, intercepti sunt ab hostibus, se acriter irrumpentibus, et una pars ex nostris in urbem uenit, alia uero, quae remansit, caesis militibus nonnullis, rediit. Tunc Rex, collectis undique sociis, illico properat, et hostes nostri, magnam uim defensoribus urbis inferentes, cum ultimam legionem uidissent, cito amoti,*



*amoti, fugerunt castris, nostri autem in ereptione interius gaudentes, Kyrie eleison cantant, et aduenientes unanimiter respondent. MVNITA VRBE PRAESIDIO, Rex abiit, et eandem in sua potestate diu tenuit. Post haec tres auunculi mei, Henricus, Vdo et Sigefridus, cum Ethelgero, piratis sua populantibus IX. Calend. Iulii nauibus occurrunt, facto inuicem certamine, Vdo decollatur, Henricus autem, cum fratre suo Sigefrido et Comite Ethelgero, deuictus, dictum miserabile, a pessimis hominum captus, deducitur. Haec Ditmarus, cuius locum paulo longiorem, studio, Marchiones certos ab incertis internoscendi, attulimus, ut in sequentibus apparebit.*

## XXV

Tractum autem illum Slaucum denuo Thiederico custodiendum traditum fuisse, Helmoldus L. I. C. XVI. p. 552. conceptis uerbis testatur: *Eo tempore Slauium dominio potiti sunt Theodoricus Marchio, et Dux Bernhardus, illo quidem Orientalem, isto occidentalem, Provinciam possidente.* Posteriorum quoque temporum historia idem docet, cum nimirum sub Henrico Sancto anno 1013. Slaui, circa Albiam Oderamque inhabitantes, duce Misteuoi, Obotritorum regulo, qui nuptias petierat neptis Bernhardi Ducis, et a Theodorico Marchione consanguinea Ducis, tanquam canis, indignus habitus fuerat, libertatem uindicarent, totam Nordalbingiam igne ferroque uastarent, deinde, reliquam peragrantes Slauiam, omnes Ecclesias incendere, et ad solum usque diruerent, Sacerdotes et reliquos Ecclesiarum ministros, uariis suppliciis enecantes, nullumque Christianismi uestigium trans Albiam relinquentes. Sic enim hanc calamitatem describit fere Helmoldus, in Chronico Slauium L. I. C. XVI. Cui addendi, Adamus Bremensis L. II. Hist. Eccl. C. XXX. Albertus Stadenfis ad An. 1001. et alii. Temporis autem rationes curatius inuestigarunt Antonius Pagi Crit. Tom. IV.



IV. ad Annum 1012. n. II. III. p. 104. et Pfeffingerus in Vitriario illustrato Tom. II. Lib. I. Tit. XVI. p. 120. Exitum denique huius Thiederici, Marchionis, Brandenburgici qui Magdeburgi inter praebendarios uitam finiuit, habet Adamus Bremensis. l. c.

## XXVI

Qua uero ratione Slaui denuo Imperio fuerint subiecti, ex Adamo Bremensi et aliis referre potuissemus, si istud uisum fuerit, instituto conueniens. Fugientem uero hic iterum habemus Historiam Brandenburgicam, cum Marchionis nulla mentio per longum tempus. Anno demum 1089. cum Germania ciuili bello, Imp. Henricum IV. inter et Thuringiae Marchionem Ecbertum gesto, premeretur, Annales Hildesheimenses ad An. 1089. Marchionem de Brandenburg, Hildensein obfidem et capientem, memorant, apud Leibnitium Tom. I. Scriptorum Brunswicensium p. 737. Mire hic iterum hypothese indulgent Viri Docti, quam fouent, de Marchionibus Stadenfibus, breui post excutiendam. Cl. Iunckero enim in Geographia medii aevi Part. II. C. XIII. n. IV. §. 46. p. 488. Marchio iste Vdo II. est, Vdonis Stadenfis filius, quem, ex sententia Sagittarii, Marchiam recuperasse, arbitratur. Hunc Vdonem titulum Marchionis Brandenburgici primum usurpasse, ex analogia Historiae coniicit, et hac obseruatione, apud neminem sibi lecta, impense laetatur. Sed coniectura Viri docti infirmo admodum nititur fundamento, cum nondum ad liquidum perductum sit, quod Marchiones Stadenfes ante A. 1101. aliquod haberint cum Marchia Brandenburgica commercium, ut mox apparebit. Hoc interim adiicimus, rebellantibus quauis occasione Slaui, et sub iugum iterum iterumque missis, Marchiones subinde mutatos, quis miretur? Slauiam autem Transalbinam iam tum in Prouinciae formam redactam fuisse, repugnante tota ho-

C

rum



rum temporum Historia, credere non possumus, praesertim cum sub finem Seculi XI. Henrici Slaui latissimum per totam Nordalbingiam imperium Helmoldus memoret.

## XXVII

Plures sunt coniecturae, quibus nos pascunt historici recentiores. Chytraeus enim, quem sequuntur Cocceius et Giovanni, Geroni, ad quem iterum cum illis reuertimur, successisse statuit filium Brumitonem et Hugonem Nepotem, Ottonis III. Affinem, Hetruriae Praefectum, ut dicitur in Cenotaphio apud Nath. Chytraeum et Pfeffingerum Tom. II. Vitriarii illustr. Tit. XVII. p. 629. Cum tamen Gero moriens nullum reliquerit filium, omnibus quippe ante Patrem extinctis, id quod non modo Ditmarus Lib. II. p. 334. clarissime testatur: *Gero, dum VNICI morte turbaretur FILII, suimet Illustris Sigefridi, Romam pergens etc.* uerum etiam haud obscure innuit ipse Gero in diplomate foundationis Gerenrodensis Coenobii apud Becmannum l. c. *Ego Marchio Gero notum esse uolo, quod non longo post tempore, postquam Filii mei Sigefridus et Gero uiam uniuerse carnis fuissent ingressi, constructoque EXINDE monasterio Puellarum in Gerenrod.* Foecundissimus itaque fuit Historicorum calamus, qui etiam post mortem Geroni potuerunt excitare Filium et Nepotem.

## XXVIII

Occasionem uero, qua inter Marchiones Brandenburgicos Brumito et Hugo relati sunt, manifestam reddidit Georgius Sabinus, uel qui sub istius nomine interdum latere uoluit, Philippus Melanchthon, in Historia de Vita Hugonis et Theoderici, Marchionum Brandenburgensium, Reineri Reineccii Originibus Stirpis Brandenburgicae, Francofurti 1581. in f. editis,  
an.



annexa. Iste enim aegre fert, quod Godofredus Viterbiensis in Chronicis Hugonem nostrum, pro Marchione Brandenburgico, prout eundem laudatum quoque Cenotaphium appellat, dixerit militem Brandenburgicum. Ex quo haud obscure discas, Hugonem, ex mente Viterbiensis, praesidiarium fuisse ducem in Castro Brandenburgensi ab Imp. Ottone collocatum, perinde ac Thiadericum, de quo in antecedentibus. Ipsum Hugonem in Italia mortuum et Florentiae sepultum, perhibet Sabinus, sed patrem Brumitonem fratresque Brandeburgi conditos, ubi eorum Epitaphia reperiunda, ex quibus tamen, cum uetustate nimia detrita sint, certi nihil licuerit adferre. Equidem in tertio sepulchro aliquando inscripta fuisse haec uerba, quae, antequam delerentur prorsus, a quodam antiquitatis studioso descripta fuerint in tabula in pariete hemicycli suspensa: III. CALENDAS MAIOBIIT SEGEHARDVS, CLARISSIMI PRINCIPIS BRUMITONIS FILIVS CHRISTIANISSIMVS memorat Sabinus cit. loc. *Brumitonem* hic quidem habes *Principem*, non tamen ut recentioribus uisum, *Brandenburgicum*. Ipsum nomen, Germanis alias ignotum, Principem Slaucum loquitur ad Christianismum conuersum, et inter Christianos Brandeburgi forte degentem; cui coniecturae inprimis fauet elogium *Christianissimi* Filio adiectum, quod obiter additum, non crediderim. De tabulae uero auctore suppono, eum in restituenda fugiente Epitaphii lectione, de qua re alias conqueritur, coniecturas non esse secutum.

## XXIX

Inuentis autem, ut ad recentiorum fabulas reuertamur, Geronis Filio et Nepote mox patuit et Thiedrici genus, quod alias me, fateor, ignorare. Fuit enim Thiedricus ille, de quo supra exposuimus, ex mente eorum, Filius Sighardi, Fratris Hugonis, de quo idem Sabinus in Vita Theodorici, sine ueterum

C 2

tamen



tamen testimonio. Post hos uero secutam esse ferunt Kranzius et Chytraeus alteram Familiam, Comitum sc. Stadensium, primo ex ea Marchione Sigfrido Stadensi, et mox sequentibus eius Filio et Nepote, Vdonè I. et II. Istud exploratum satis est, Marchiam, et in primis Soltuedelensem, Marchiae hodiernae nobilem partem, Comitibus Stadensibus subditam fuisse, sed, quo demum tempore istam obtinuerint, remotis recentiorum coniecturis, ductu antiquiorum, mox dicemus.

## XXX

Ante omnia istud expediamus, necesse est, Comitatum Stadensem Marchiae, quod aiunt, formulam habuisse. Istud uero disertis uerbis habet Historia de Guelphis apud Leibnitium Tom. I. Scriptorum Brunswicens. f. 783. *Egbertus Marchiam illam, quae est in finibus Saxoniae, uersus Danos, Stadam nominatam, obtinuit.* Vnde non sequitur, si interdum Comites Stadenses titulo Marchionis apud Scriptores insigniantur statim subintelligendum esse Marchionem Brandenburgicum, ut quidem a nonnullis fieri solet, multo minus istud idoneis argumentis adstrui potest, quod nonnullis apud Giouanni l. c. in mentem uenit, Marchionatum Stadensem ab Henrico Aucope pariter Venedis obiectum fuisse, ita tamen, ut Brandenburgico subesset. A priori uero sententia, quam notauimus, non adeo abhorret Cel. Leibnitius in Introductione ad Tomum II. Script. Brunsw. n. XXV. p. 26. *Sic per errorem, inquit, nata est Marchia Stadenfis cum Marchiones Septentrionales (id est Brandenburgici, quae Marchia procul Stada) simul Stadam haberent, ibique subinde habitarent.* Verum longe abest a uero Vir summus, quod pace eius dixerim. Quamuis enim Marchiones illi Stadenses obtinuerint tandem et Marchiam Brandenburgicam, non tamen ideo existimandum est, si coniecturis clara ueterum testimonia praestant, Marchiam inde Stadensem

sem



semper errorem natam, in primis cum Marchiones appellentur Stadenfes Comites, antequam Marchiae Brandenburgicae prae essent. Ita sc. Sigfridus Stadenfis Comes ab Adamo Bremensi Lib. II. Hist. Eccl. C. XXII. Marchio appellatur eo, quod obseruari meretur, tempore, quo haud dubie Marchio Brandenburgensis fuit Thiedericus, sub annum nimirum 993. Ex quo multum lucis accipit sententia nostra, qua diximus a Marchione simpliciter ad Brandenburgicum non ualere consequentiam.

## XXXI

Vt paucis dicamus, quod res est, Sigefridi illius Marchionatus Brandenburgicus ortus uidetur ex male explicatis iis, quae supra ex Ditmaro attulimus, in quo tamen loco altum de ipso Marchionatu silentium. Etiam rationes chronicas laedunt, qui anno MX Sigefridum Marchia ab Henrico II. inuestitum credunt, quo Marchiae ad huc praefuit Thiadericus, ut uidimus supra. Ad successores Sigfridi quod attinet, Vdonem primum et secundum, repugnant Auctores isti Genealogiae Comitum Stadenfium, quatenus illa ex classico scriptore Alberto Stadenfi ad Annum 1144. patescit, quando Vdonem I. Sigfridi Filium, alterum uero Vdonem Nepotem appellant. Vdo enim iste primus nepos Sigfridi fuit, secundus uero eiusdem Pronepos. Equidem probe scio, quod non Sigfridum primum, sed secundum intelligant, attamen et istud noto, Sigfridum II. non esse, sed primum, qui bellis, contra Slauos ab Ottone III. gestis, interfuit. Hunc enim Ditmarus auunculum suum nominat l. c. Filius nempe Cunigundae, Sigfridi I. Sororis. De Vdone I. Albertus Stadenfis ait: *Luderus* (Sigfridi II. Filius, cui recte Henningesius Marchiam Salisquellensem concedit) *accepit uxorem Adelbeithim, amitam Rudolphi, quem Saxones elegerunt in Regem contra Henricum,*  
C 3
genuit-



*genuitque ex ea Vdonem I. qui factus est Marchio.* Hic plurimi intelligunt, ut supra iam monitum est, Marchionem Brandenburgicum, nullo tamen suae sententiae argumento, cum et Stadenſis Comitatus Marchia fuerit, quod iam euictum credo, et Marchia Soltuedelenſis in Stadenſium iam fuerit potestate, ut statim dicemus.

## XXXII

*Vdonem uero Marchionem et alios plures Saxonum Barbaros, qui Luitici uocantur, inuaſiſſe et Urbem, quae Brandenburg dicitur, honorifice cepiſſe, ex Chronographo Saxone ad An. 1101. certo ſcimus.* Vdo II. igitur ex Marchionibus Stadenſibus primus eſt, quem inter Marchiones Brandenburgicos iure referre poſſis. At res ſucceſſu caruit, ſiquidem ab Henrico Obotritorum Rege, Godeſchalci a Barbaris propter Chriſtianismi profeſſionem occiſi, filio, Melteuoi uero Pronepote, Brandenburgienſes tanquam rebelles ſubacti ſunt, ut diſerte loquitur Helmoldus L. I. c. 37. Tom. II. Script. Brunſu. p. 569. *Cum ergo uice quadam Brizanorum et Stoderanorum populi, hi uidelicet, qui Huelberg et Brandenburg habitant, REBELLARE parerent, uisum fuit Henrico armis aduerſus eos utendum --- Perrexit ergo cum amicis ſuis Nordalbingorum armatis, peragrans Slauorum Prouinci- am cum ingenti periculo uenit Huelberg eamque obſidione ualla- uit --- Poſt paucos autem dies Brizani caeterique REBELLES pacem poſtulauerunt, datis obſidibus.* Huic loco Helmoldi parum conueniunt, quae Andr. Angelus apud Luduigium de F. D. B. lit. q. p. 48. ipſo hoc Cel. Viro iudice, comminiſcitur, Imperatorem, odio aduerſus priſtinum Marchionem, ſibi forte in domeſticis turbis minus fauentem, concitaſſe Primislaum addito Titulo Regis Brandenburgienſis. Helmoldus enim non modo in antecedentibus Henrici huius latiffimum per Slau- am regnum, quod iure ſucceſſionis ad eum peruenerat, comme- morat,



morat, sed et hoc loco de Brandeburgensibus, dum eos rebelles nominat, tanquam subditis antiquis loquitur

## XXXIII

Marchiam uero Soltuedelensem siue Balsamorum terram, longo abhinc tempore Slauis subditam, ut Helmoldus L. I. c. 88. p. 612. Vdo I. diu ante adeptus est, atque ad posteros transmisit, quod, qua ratione factum fuerit, explicatius dare non possumus, quam ex Auctore libelli de fundatione Coenobii Bigaugiensis, quem Maderus Chronico Montis Sereni adiecit. Ille enim (in collect. Script. Lus. Tom. IV. p. 119.) ita inquit: *Henricus Imp. Conradi filius (adeoque tertius) regebat tunc Imperium, sub quo respublica pace fruebatur, sub quo Princeps Vdo MARCHIAM STADENSEM regebat, Wicbertus ergo Patre Wolffo orbatus, hunc accedens, ab eo donec adolesceret, educatus est, simulque gladio militari ab eo accinctus, Tangermunda ab eodem Vdone inbeneficiatur creuit consilio et Audacia in tantum, ut formidabilis etiam notis efficeretur. Ideoque Vdo eum dimittens, municipium, quod habuit iuxta Elstram fluium, nomine Groysta, cum omnibus attinentiis, eidem tradidit, pro commutatione regionis Balsamorum. Pro Tangermunda uero ei alia beneficia ad Nortchiam restituit.* Eadem et iisdem fere uerbis habet Monachus Pegauensis in Historia de uita et gestis Viperti C. II. §. 1. 3. p. 8. in laudata saepius Scriptorum Lusaticorum Collectione. Iure cessionis igitur Vdoni I. et Filio, Vdoni II. Marchionibus Stadensibus Soltuedelensis terra obuenit, quaeque, cum primum fundamentum fuerit Marchiae, plenius postea constituendae, etiamnum Marchiae ueteris nomine insignitur.

## XXXIV

Notatu hic in primis dignum est Vdonis II. matrimonium, quod multum lucis affundit toti huic Historiae, initum cum Ermengarda Helprici Comitis de Plozeke Sorore, de quo nos certiores reddit Albertus Stadenis l. c. *Marchio Vdo proponens*  
duce-



*ducere Eilicam, Filiam Magni Ducis, declinavit in domum Helprici Comitis de Plozece, et uidens ualde pulchram Sororem suam, Ermengardam, duxit eam.* Per istud enim matrimonium Soltuedelensis Marchia cum ipso comitatu Plocensi Domui Anhaltinae siue Ballenstedensi iusto successionis et haereditatis ordine accessit, de qua re tot sunt apud Scriptores inania commenta.

## XXXV

In duas nunc partes diuidere cogimur laborem nostrum, primo enim dispiciendum erit, qua ratione terra Soltuedelensis, deinde Marchia Brandenburgica peruenerit ad Albertum Anhaltinum, cognomine Vrsum, sub quo Marchia Brandenburgica prouinciae germanicae formam accepit. De priorifatis superque constat, quod, mortuo Vdone, eam obtinuerit Henricus, Vdonis et Ermengardae Plocensis filius, qui huc dum fuerat sub tutela Patruī Rudolphi Comitis Stadenſis. Rem omnem exponit Chronographus Saxo ad annum 1107. p. 281. et ad Annum 1115. p. 284. *Ludegerus Marchio, qui et cognomine Vdo-uitam finiuit. Rudolfo fratri illius commissa est Marchia per octo annos ab Henrico Rege, ut nutriret Filium eius Henricum -- Rodolfus Comes remisit Henrico, filio fratris sui, Marchiam, expletis octo annis.* Per Marchiam procul dubio Chronographus Soltuedelensem, neutiquam Stadenſem intelligit, in cuius possessionem nunquam uenit Henricus, quoniam Fridericus quidam, cui sub Vdone comitatus istius administratio commissa fuerat, cum nondum ex Ephebis excessisset Henricus, semetipsum fecerat illius dominum, ita ut Henrico praeter titulum nihil superesset. Fusius istud, additis circumstantiis omnibus, in primis, quod Rudolfus Fridericum in urbem Soltuedele captiuum deduxerit, dimittendum iterum, interponente sese Imp. Henrico V. Albertus Stadenſis tradit ad An. 1112. p. 153. adiiciens: *Cum igitur Henricus Marchio uacuum nomen Principatus gestaret et Fridericus tam domini sui rebus, tam eis, quae uariis modis conquiſiuerat,*

*uerat,*



uerat, afflueret, ex deliberato Comes Rudolfus et nepos suus Henricus cum multa militia properant etc. Quod uero praesidio Imp. et Luderi Saxoniae Ducis, magna ui auri coemto, iniuste acquisita retinuerit Fridericus, Stadenfis habet l. c. Henricus tandem sine prole uita excessit Anno 1128. testibus Chronographo Saxone, et Woltero Chronographo Bremensi, apud Meibomium Tom. II. Rerum Germ: *Intoxicatus fuit ueneno Marchio Henricus, Puer ad huc, qui natus fuit Comes Stadenfis et ab eodem Comitatu tunc SCRIBEBATUR MARCHIO.* Silentio tamen hic praetermittendum haud est matrimonium Henrici cum Adelheithi sorore Marchionis Alberti, de quo Albertus Stadenfis ad Annum 1144. p. 164.

## XXXVI


Haereditatem Henrici uenisse Conrado Comiti Plocensi, Helprici supra nominati filio, aiunt Albertus Stadenfis ad Annum 1130. *Principatum Henrici Marchionis suscepit Conradus, filius auunculi eius.* et Chronographus Saxo ad Annum eundem: *Marchia Septentrionalis tradita est Conrado, Filio Helprici de Plozeke.* Marchiam hanc Septentrionalem accipit Cl. Plessingerus Tom. II. Tit. XVII. p. 674. de Stadenfi, in cuius tamen possessionem Conradum nunquam uenisse, ex eo probare possumus, quod Fridericus anno demum 1135. mortuo iam Conrado, abierit ad plures. Marchia igitur Soltuedelensis est, quam innuit Chronographus; imo et ipse doctif. Vir in eadem pagina meliora habet, quando ait: *Miratunc rerum perturbatio. Proximi Henrico puero haeredes fuerunt Patruus ipsius laudati Rudolphi gnati Vdo III. Rodolfus II. et Hartuicus, Comitatum Stadensem sui propterea iuris esse, perhibentes; sed Albero Bremensis Antistes eundem beneficiali lege in Fridericum Comitem et administratorem transtulit et Conradus Ploetzcouiensis inde quoque sibi Marchionis titulum uindicauit.* Mortem obiit Conradus, *ἄτεκνος* Anno 1133. secundum Chronographum Saxonem, et Chronicon montis sereni ad h. a. Vt omnia clariora fiant liceat hic nobis

D

Comi-



Comitum Stadenſium Genealogiam, quo uſque huc ſpectat, annecti.



*Henricus* qui  
duxit Adelhei-  
tim, Sororem  
Marchionis Al-  
berti

### XXXVII

Post mortem Conradi haeres ejus factus est Albertus Vrſus, Filius Ottonis diuitis et Eilicae, Filiae Magni ducis Saxoniae, e ſtirpe Billingica ultimi, et quidem propter affinitatem cum Henrico Marchione, qui duxerat Adelheithim, ejus ſororem. Per hanc haereditatem acceſſit non modo Alberto terra Soltuedelenſis, unde et Helmoldus eundem ſubinde Marchionem de Saltuedele appellat L. I. C. LXII. p. 588. apud Leibnitium et et Lib. II. p. 623. C. VII. uerum etiam Comitatus Plocenſis, quem credo, tum primum Comitatu Anhaltino adiectum. Veterum teſtimonia, quibus nitimur ſunt Chronographi Saxonis ad An. 1134. p. 290. *Adelbertus Comes ſucceſſit Conrado Marchioni* et Chronici montis ſereni ad An. eundem p. m. 35. *Adelbertus Comes ſucceſſit Conrado Marchioni*. Succeſſionem hanc Conradi et Alberti in haereditatem Heinrici, quam quidem indigne ferebant Comites Stadenſes, animum indignantem in bellis Henrici Magnanimi cum Alberto ſatis oſtendentes, ſiſtimus Tabula praefenti:

*Hil-*



*Hilpericus*

Comes de Plozeke

|

*Conradus* Comes de  
PlozekeHaeres Heinrici  
Marchionis*Ermengarda*Uxor *Vdonis II.* Marchionis Sta-  
densis et Soltuedelensis

|

Heinricus Marchio Soltuedelen-  
sis Vxor *Adelheidis* Soror *Alberti*  
*Vrſi*, qui ſucceſſit Conrado

XXXVIII. Verum hic grauitè a nobis diſſentiunt Hiſtorici recentiores, qui modo longe alio Marchiam Soltuedelenſem in poteſtatem Illuſtriſſimae Gentiſ Anhaltinae perueniſſe contendunt. Sequemur in commemorandis eorum placitiſ Cel. Becmannum qui ductu Enzelii, Henningeſii, rem ita geſtam memorat in Chronico Anhaltino Part. V. L. I. IV. §. 3. p. 21. Albertum VI. ſc. filium Alberti V. ex ſtirpe Aſcania primum, ab Henrico II. beneficii loco accepſiſſe Marchiam Soltuedelenſem, propterea, quod Vdo II. colluſionis, cum Slauis fuerit poſtulatus, qui tamen Principatu cedere noluerit, donec tribus cruentis praeliis fuerit eiectus. Verum talia procul dubio coacti ſunt fingere, circumſtantiis que ornare, quae fabulas maniſeſto ſapiunt, Scriptores iſti, ex ignoratione eorum, quae modo ex genuinis antiquae Hiſtoriae monimentis attulimus. Locum quoque hic ſibi vindicat obſeruatione elegantiſſima Cl. Pfeffingeri, Anhaltinae gentiſ Genealogiam ultra Adelbertum, Ottoniſ diuitiſ patrem, qui ſemetipſum in diploma- te A. 1073. *Comitem Adelbertum* nominat, atque Coenobio Nienburgenſi *Praepoſituram Ballenſtedi nuncupatam, et iure haereditario hactenus a ſe poſſeſſam* apud Dom. Becmannum Part. III. Lib. IV. C. II. p. 433. donat cuiuſque mentio in diploma- te Henrici IV. A. 1063. duci non poſſe. Collabuntur inde omnia, quae de donata ab Henrico II. circa A. 1001. Marchia Soltuedelenſi commiſcuntur chronographi recentiores, quamuiſ adhuc hodie apud plures fidem inueniant. Pergit Becmannus §. V. p. 22. Ottonem de Ballenſtede iterum Marchiam Soltuedelenſem domui Anhaltinae acquiſiuiſſe per matrimonium cum Eilica Filia Ma-


D 2

gni



gni Saxonis, Marchiae tum possessoris, quaeque eidem A. 1108. ab Imp. Henrico Feudi loco fuerit concessa. Citati supra Scriptores longe alios terrae Soltuedelenfis dominos sub istud tempus memorant, quorum auctoritate, si stare uolumus, cogimur et hanc historiam inter fabulas referre. Ab omni uero probabili ratione abhorret, quod Coccejus perhibet l. c. ab eodem Henrico V. in Ottonem hunc et Vandalicae Prouinciae Ducatum collatum fuisse, quam sententiam deinceps refellemus.

XXXIX. Dum supra Genealogiam Anhaltinam in partes traximus, successionem Alberti Vrsi in Marchiam Soltuedelensem asferentes, diffiteri non possumus, ualde obstare nostris aliam Genealogiam apud Becmannum, quae, quamuis ad Anhaltinam proprie spectet Historiam, hic tamen examinandam ducimus. Familiam enim Ottonis diuitis ita sistit nobis cum aliis Vir doctus:



Haec Genealogia plane aduersatur Alberto Stadenfi, qui ait Henricum Marchionem Alberti Vrsi sororem Adelheidim habuisse in matrimonio, secundum hanc uero Genealogiam Henricus Ottonis diuitis fuit Pro-Nepos, qui igitur Ottonis Filiam, et quod inde sequitur, suam consanguineam duxisse, dicendus est. Addit Albertus Stadenfis, Vdonem primo ambuisse matrimonium Eilicae, postea uero ex domo Helprici iunxisse sibi Ermengardam; in hac Genealogia uero Ermengarda Eilicae neptis est, nisi dixeris Theodoricum Ermengardae patrem ex alia uxore ab Ottone fuisse susceptum, quod tamen apud neminem inueni. Interim non auderem cum Becmanno, uetustos Scriptores ex hac recentiori Genealogia emendare, et pro liquidis eorum testimoniis reponere coniecturas, cum istud exploratum satis sit et cognitum, quantis difficultatibus et tenebris laborent res Genealogicae apud Henningesum, Brotuffum et alios. Accedit, quod Genealogiam ex nullo idoneo

doneo



idoneo Scriptore firmarit Vir doctus, et ex diplomatibus, ab ipso allatis, in fauorem eius colligi nihil possit, referentibus iis nuda Theodorici et Helprici nomina, genusque tacentibus.

XL. In errorem tamen hac Genealogia se induci passus est Cl. Pfeffingerus, quem alio in super auget, supra iam notato, quando Tom. II. p. 6. ita inquit: *A. 1134. defuncto ex fratre Nepote Conrado, surrogatur in Marchia septentrionali siue Stadenfi Albertus* et p. 630. eundem Conradi Patrum nominat et Salisquellensium Marchionem, cui Marchia Stadenfis siue Septentrionalis, obuenerit. Verum cum Conradus nunquam possederit Marchiam modo dictam, ut iam probauimus, nec iure satis ualido ad eam postulandam instructus fuerit, me ignorare fateor, quare haereditas Conradi in supra adductis ueterum Scriptorum locis extendenda sit ultra Marchiam Soltuedelensem et Comitatum Plocensem. Fortassis quoque non longe absumus a uero, si credamus, Comites Plocenses diuersos primum fuisse ab Anhaltinis siue Ballenstedensibus non obscure istud innuente Alberto Stadenfi. Ex quo id demum conficitur, Albertum Conradi patrum dici haud posse, quamuis affinitatis uinculum non inficiemur.

XLI Nunc tandem accedimus ad ueras origines Marchiae Brandenburgicae, in eo opfitas *quod Marchia acceperit Germanicae Prouinciae formam*, cum nemo Slauos adhuc Marchiam tenentes. in Rempublicam susceptos facile credat. Supra diximus Henricum Slauum anno 1107. Brandenburgum de nouo sub obsequium suum reuocasse, de eodem autem Henrico tradit nobis rem notata dignissimum fragmentum uetusti Chronici Brandeburgensis apud Maderum in Antiquitatibus Brunswicensibus p. 274. *Huius, (Sui-geri Episcopi Brandeb) temporibus fuit in Brandenburg Rex Henricus qui slauice dicebatur Pribezlaus: qui Christianus factus, Idololum, quod in Brandenburg fuit, cum tribus capitibus, quod Tryglau slauice dicabatur, et pro Deo colebatur, et alia idola destruxit, idololatriam et ritum gentis suae detestans, cum filium non haberet, Adelbertum Marchionem, dictum Vrsam, haeredem sui instituit Principatus.* Nobile istud fragmentum Pulkaua, Bohemus Historiarum Auctor, ex per antiquo Chronico MS. quod Carolus IV. ei donauerat, confirmat apud Balbinum et Cel. Gundlingium de Henrico Aucupe XXII. lit. x. p. 166

XLII. Temporis rationes, cum in obscuro lateant, expedire satis non possumus, si Scriptores sequamur, qui Adelbertum Marchionem subinde nominant, iam ante annum 1129. eundem Pribislai haeredem factum, existi-



mandum foret. ita enim Chronographus Saxo ad hunc annum ait: *Adelbertus Marchio Hildesburch quadam nocte cepit et combusfit*, sed isti *προληψιν* uidentur adhibuisse. Idem dicendum est de diplomate Magdeburgensis Archiepiscopi Friderici de anno 1147. in qua de uenditione quadam, facta sub Nortberto eius antecessore, Anno 1134. mortuo, sermo est, et *Adelbertus Marchio* inter testes adducitur. Becmannus in saepe laudato chronico Anhaltino P. V. L. I. C. V. p. 26. Marchionis titulum de Marchia Soltuedelensi interpretatur; uerum cum Conradus eandem hoc tempore adhuc tenuerit, qui etiam in diplomate Imp. Lotharii a Casp. Sagittario primum uulgato de anno 1130. subscripsit: *Marchio Conradus de Plozeca*. hic iterum cogimur deferere Virum doctum. Istud extra dubitationem positum est, Albertum nostrum ante annum iam 1139. quo cum Henrico Magnanimo propter Ducatum Saxoniae ipsi lites fuere, Marchionis dignitate illustrem fuisse, Soltuedelensis scilicet, quam Marchiam Anno 1134. accepit; unde et Albertus Stadenfis ad Annum 1140. memorat Rudolfum Comitem Stadensem, a partibus Heinrici stantem, eidem Comitatum et Marcam eripuisse, per interpositionem Imp. Conradi deinceps reddendam. Supra allatum fragmentum apud Maderum diserte ait, quod Suigerus, sub quo Marchia Brandeburgensis translata est ad Albertum, Episcopus Brandeburgensis esse coeperit Anno 1139. Anno inde 1147. Albertus noster primum, quoad eius constat, titulo *Marchionis de Brandenburg* usus est, in diplomate apud Schatenium, Tollnerum et Pfeffingerum Tom. II. Vitriarii illustr. Tit. XVI. p. 63. quam inscriptionem praefert quoque diploma quoddam apud laudatum modo Pfeffingerum l. c. p. 64. quod primus in lucem edidit, et An. 1152. scriptum conicit: *Adelbertus, diuina fauente clementia, Brandenburgensis Marchio* adde diploma de anno 1160. apud Becmannum Part. III. L. IV. C. V. p. 425. et aliud de anno 1167. Part. III. Lib. I. C. V. p. 154.

XLIII. Ex his rationibus chronologicis solutio pendet dubitationis illius, cuius materiam dedit ipse Cel Luduigius, quodque eius de Ducatu Brandeburgico sententiam ualde premit. Ait enim in Germania principe l. c. p. 540. Imp. Conradum Saxoniae Ducatum Alberto concessisse, ratum, consuetudinibus imperii aduersari, quod Henricus superbus duobus, Bauariae Saxoniaeque ducatus simul praeset, cum nihil impedire credidisset, quo minus Marchiae Brandeburgicae Saxonia accederet. In his Vir doctus arma iis ipse subministrat, qui negant Marchiam unquam Ducatum fuisse.



fuisse. Nullam enim habuisset iusti speciem Imperator, si alteri tradidisset duos ducatus, alteri eripuisset, causatus, legibus imperii non licere, duos ducatus esse penes unum. Sed nolim haec mea facere, cum ex temporum rationibus pateat, Anno 1139. Albertum Marchiam Brandeburgicam nondum fuisse adeptum.

XLIV. Quamuis autem Pribislaus Albertum nostrum haeredem Brandeburgicae terrae scripserit, in eius tamen possessionem non statim uidetur peruenisse. Ad quam coniecturam nos compellit Albericus ad An. 1157. p. 331. *Brandeburch castellum in terra Slauorum trans Albim, per quod Pagani Christianos grauius affligebant, Albertus Marchio Comes in Saxonia, obsedit et cepit, positisque in eo militibus Slauos humiliavit, et per hoc Christianorum fines multum dilatauit.* Cui iungimus Helmoldum, qui Lib. I. Chron. Slauorum c. 88. p. 612. rem clarius eloquitur: *In tempore illo (Anno 1160.) Orientalem Slauiam tenebat Adelbertus Marchio, cui cognomen Vrsus, qui etiam propicio sibi Deo, amplissime fortunatus est in funiculo sortis suae. Omnem enim terram Brizanorum, Stoderanorum, multarum gentium, habitantium iuxta Hauelam et Albiam misit sub iugum et infrenauit rebelles ipsorum. Ad ultimum, deficientibus sensim Slauis misit Traiectum et ad loca Rheno contigua, insuper ad eos, qui habitant iuxta Oceanum, et patiebantur uim maris, uidelicet Hollandos, Seelandos, Flandros, et adduxit ex eis populum magnum nimis, et habitare eos fecit in urbibus et oppidis Slauorum.* Coloniae huius, in Marchiam et terras Anhaltinas deductae, memoriam conseruant non modo uaria diplomata Becmanno diligenter notata, sed et urbium nomina, quae hodie Circulo Saxonico Electorali accessere, Kembergae, Niemeck et Flaemingae tractus etc. quod probe aduertit Schurzfleischius in Appendice ad Vitam Alberti animosi, quae est inter dissertationes eius Lipsiae iunctim editas XXIX. p. 146. imo Exc. I. P. Gundlingius in Conrado III. notat, Nobilitatis, urbiumque marchicarum monimenta ultra Albertum non assurgere.

XLV. Marchiam hac ratione a Principe Germano, colonis germanis ac belgis constitutam, atque in formam Prouinciae germanicae redactam, statim inter summos Germaniae Principatus eminuisse, istud cum primis docet, quod locum inter Imperii officiales praecipuos obtinuerint Marchiones Brandeburgenses. Quae quidem dignitas Viris doctis ab Alberto in Marchia fundata uidetur; ipsi certe Ottoni Filio aperte uindicatur in Epistola Alexandri III. P. R. ad Episcopum Eboracensem et Episcopum Dunelmensem, qua ille *nobilis, magnus et potens et Camerarius Imperatoris* (FridERICI Aenob.) uocatur; extat illa apud Rogerium de Houeden, Cherubi-

nun



num in magno Bullario romano Tom. I. p. 72. seq. et Goldastum Constit. Imp. Tom. III. p. 355. Istud crediderim certissimum esse, penes primarios Imperii Principes summa Imperii officia semper fuisse, quamuis eadem in Imperatoris arbitrio ante Sec. XII. posita fuerint; addo fuisse iisdem coniunctas praecipuas in eligendo Rege partes, seculo imprimis XIII. unde et Marchionis nostri Brandenburgici suffragio, in Richardum Anglorum Regem collato, magnum pondus tribuit Urbanus IV. P.R. in Epistola ad Richardum, electum Regem Romanorum, apud Leibnitium et S. V. Ianum, de origine Electorum, in appendice Monumentorum N. III. §. 7.

XLVI Non potest igitur non esse dubium id, quod ex hoc summo Imperii officio colligunt Cocceius et Luduigijs, Marchiam Ducatus formulam habuisse, cum ipse Arnoldus Lubecensis, cuius testimonio utuntur Viri Docti, Duces inter et Marchiones aperte distinguat. Adscribimus ipsa Arnoldi uerba: *Fridericus Imp. edixit curiam famosissimam et celeberrimam apud Moguntiam, quae celebrata est in Pentecoste, anno uerbi Incarnationis MCLXXXII. ut filium suum Henricum Regem militem crearet, et gladium militiae super femur eius potentissimum accingeret. Officium Dapiferi, Pincernae, Camerarii, Marschalci, non nisi Reges uel Duces aut Marchiones administrabant; ubi ipse Luduigijs subiicit: Sed hunc Marchionem Brandenburgicum fuisse, nemo unquam dubitauit.* Hypothesi autem inseruit Cocceius, quando asserit, extincto sub Henrico V. Ducatu Francico, ex necessitate quadam, et ipso iure, sine ulla noua constitutione, officium Camerarii ad serenissimum Marchionem Brandenburgicum, tanquam quartum Prouinciae Ducem, pertinuisse. Fallitur enim, quando ducatum Franciae sublatum tunc temporis existimat, quem post Imp. Conradum in Friderico Rotenburgensi, Imp. Friderico I. et Conrado VI. ad finem Sec. XII. adhuc durasse, certo constat; fallitur quando Ducatum Vandalicum Ottonem Ascanium Alberti Patrem tenuisse statuit; unde et ea, quae de necessitate successionis attulit, corruunt. Malunt potius hic alii spectare gratiam Imperatoris, qua summa gentis Ascaniae merita excipiebantur, adeo, ut deinceps illud iuris eminentissimi decus ad gloriosissimos illius Posteros transferretur, perpetuaque firmaretur lege. Plura ne adiiciamus, prohibemur instituto, superest, ut animum tantae Maiestati deuotum Potentissimo Borussorum Regi, sub cuius tutela Marchia Brandenburgensis iam requiescit, testemur, DEOque, nostrum adiuuanti laborem, perinde ac pietas iubet, ex intimis animi sensibus gratias persoluamus.

F I N I S.





ב ע ה

P R A E F A T I O

**N**ostri, quod sibi liberaliter indulget, Seculi mores considerantes, dubitare non possumus, fore multos, qui hoc genus scripturae sinistris excipiant iudiciis, et plurima, cum in argumento, tum in eius pertractatione, carpant.

Eorum, quibus argumentum minus arrideat, alii forsitan dicent, tempus melius, et maioris momenti rei utilius, impendi potuisse. Alii, satis multa de Oraculis dicta passim et scripta exstare. Alii denique, profanarum Oracula Gentium nihil ad nos pertinere, et parum utilitatis exinde, quod sciamus, utrum Diabolus Oraculis praefuerit nec ne, ad nos redundare, arbitrabuntur.

Illi ab uniuerso Eruditorum orbe, qui doctissimorum uirorum de Oraculis lucubrationes magni aestimat, diuersum sentiunt, an uero simul melius, penes alios iudicium esto. Qui tamen si didicerint, nos non nostro tantum priuatoque consilio, sed iussu et consensu illorum, quorum autoritas plurimum apud nos ualet, huic argumento operam dedisse, mitius dubio procul iudicium ferent.

Isti sciant, nihil noui sub sole fieri, nec dici quidquam, quod non dictum sit prius, quin et multorum eam esse naturam, ut satis inculcari nequeant. Quoties autem ueritas quaedam petitur atque impugnatur, toties eadem, centies licet iam defensa ac demonstrata, contra insultus aduersariorum uindicanda est in tutoque collocanda. Cum enim aduersarii non erubescant, arietes fractos et repulso de integro admouere, et crambem bis coctam iterum apponere, hi quidem ipsi ueritatis adsertoribus



uitio uertere non possunt, si iisdem armis illorum impetus reprimant denuo atque retundant. Neque uero hodie deesse, qui, cum ANTONIO uan DALEN, et SERVATIO GALLAEO, aliisque, idem de Oraculis sentiant, docet BIBLIOTHECA NOVA Hallens. *a)* Sed hoc scuto ne indigemus quidem, cum non prorsus eadem scripserimus. Quamuis enim res et Oracula ex ueterum scriptis depromenda fuerint, quando illis aliquid affingere non licet, ratio tamen docendi, qua usi sumus, nostra est. Ex omnibus enim, qui de Oraculis scripsere, et quos euoluere licuit (licuit uero, beneficentia PRAESIDIS Obseruandi, qui suam nobis Bibliothecam patere uoluit, quam plurimos, rariores etiam, oculis lustrare) qui hoc ordine rem aggressus sit, inueni neminem. Quanquam enim B. D. ZACH. GRAPIVS *b)* hanc tractat quaestionem: Num Oraculis Gentilium unquam praesederit Daemon? illam tamen breuissime tantum, et, unico allato exemplo, attingit, ut adeo nobis multa fuerint relicta. Proinde non curamus illorum uocem, multa iam de Oraculis scripta exstare, clamitantium.

Horum autem uerbis parum mouemur, siquidem contrarium doctissimi uiri dictis dudum factisque probarunt. Certe B. D. GRAPIVS aliter sensit, dum quaestionem, supra allatam, dignam aestimauit, quae in Theologia recens controuersa locum inueniret. Cui pollicem premit B. D. FECHTIVS. *c)*

Res

- a)* In dem XXXVI. Stück, p. 439. ubi recensentur les Antiquitez Judaiques par Mons. Basnage Tom. II. edit. Amstel. M DCC XIII. esque recensio his uerbis absoluitur. Endlich beschleußt er (Basnage) dieses Werck, nachdem er einige Einwürffe des Pater Balti bestritten, und bleibt dabey das NB. alle Oracula nur Pfaffen-Gauckeleyen gewesen.
- b)* B. D. ZACHARIAS GRAPIVS, Theologus quondam apud Rostochienfes longe celeberrimus, in Theol. recens controuersa continuata, Cap. III. quaest. X. p. m 96.
- c)* Ille magni nominis Theologus Rostochienfis, B. D. IO. FECHTIVS  
in



Res ipsa hic loquitur, cum ex eo, quod uis quaedam, humana excellentior, oraculis praesederit, ad existentiam et operationem Diaboli in mundo probandam, firmissimum peti possit argumentum. *d)* Quare illud ipsum minime negligendum est, praesertim cum contraria sententia, quae Diaboli operationes in mundo negat, *e)* inualescens, religioni christiana admodum noxia sit. Ne dicam, duo maximi ponderis argumenta, quibus Seruatoris nostri Iesu Christi Deitas probatur, hac ipsa opinione destrui, quoniam id dudum demonstrauit B. D. NATHANAEL FALCKE *f)*

Inter utilitates, ex hoc argumento manantes, illa quoque eminent, quod inde felicitatem populi sanctioris prae Gentibus agnoscere queamus, cum Ethnici, diuinis destituti Oraculis, Diabolicis responsis misere diuexati sint atque decepti. Ex qua Diaboli fraude et ambiguis oraculorum responsis, quibus in summum saepius uitae fortunarumque discrimen adducti sunt consultores, colligere datur, quale certum, de occultorum manifestatione et futurorum praedictione, per praestigias Daemonis aut artes magicas impetrata, expectare, nobisque polliceri queamus. Dies et charta nos deficerent, si reliqua, ex hoc percipienda argumento, commoda percensere uellemus, adeo, ut sinistra maleuolorum, de argumento Dissertationis nostrae, iudicia parum nobis pertimescenda uideantur.

Circa ipsam uero tractationem, optimo iure, plura de-

A 3

fide-

*in Sylloge Controuers. recent. Disp. X. Tbes. II. et III. asseuerat, eos, qui cum uan Dalen Oracula Gentilium omnia meras Sacerdotum gentilium fraudes, contra clarissimam historiae fidem, dixerint, prouam sternere uiam ad S. Scripturarum contemptum, ipsumque Atheismum.*

*d)* urget illud GERH. IO. VOSSIUS *de Orig. et Progr. Idolol. Lib. I. Cap. VI. p. m. 41. seq.*

*e)* Contendit hoc uan DALEN, et cum eo fere omnes, qui, Oracula meras Sacerdotum fraudes fuisse, affirmant, et Diabolum ab illis excludunt, Conf. uan DALEN *de Orig. et Progr. Idolol. p. 8. et 9.*

*f)* *in Daemonologia recentiorum Auctorum falsa, Diss. I. §. 26. p. m. 19. sqq.*



siderari posse, aliis forte uidebitur, uel quod existentiam spirituum creatorum praesupponamus, quae tamen a multis in hunc usque diem negatur, uel quod rationibus, ex Scriptura S. depromptis, in cathedra philosophica pugnemus, uel denique, quod argumenta, a Dalenio aliisque in contrarium prolata, non discutiamus, et eiusmodi plura.

Sed quilibet, opinor, facile intelligit, si singula haec persequi uoluissimus, integrum uolumen, non dissertationem academicam fuisse nobis conscribendam. Adhaec existentia Spirituum a tot uiris celeberrimis, tum opera data, tum *ὡς ἐν παρόδῳ*, ita solide est demonstrata, ut, quid contra illos ualide et cum ratione afferri possit, non uideamus. Vnde ad Cel. VOSSII g) BVDDEI h) aliorumque scripta B. L. tantum erit remittendus.

Rationes uero theologicas de industria adhibuimus, quod nostro, si quid eius est, iudicio, non indignum est Philosopho Christiano, si in istiusmodi doctrinis, ubi ratio desinit, aut facile hallucinatur (e. g. de statu animarum post mortem, de natura ac indole Diaboli, et quae his sunt affinia) sacras literas in subsidium uocet. Quin huius luminis siue solis neglectus in illo uituperari posset, pariter, ac uiator merito reprehenditur, si media nocte, stellis tantum lucentibus, per loca paludosa et salebrosa iter instituere uellet, quod, orto sole, melius ac tutius absoluere posset.

Futiles autem et ludicras (quid enim solidi contra expressam diuini uerbi literam afferri poterit?) DALENI, aliorumque, obiectiones V. D. alia occasione refellemus, si, Iesuitam BATTVM illis nondum plene satis fecisse, cognouerimus. Huius enim BALTI librum i) euoluere et inspicere nondum licuit.

De

g) GERH. IO. VOSSIVS *de Orig. et Progress. Idololat. Lib. I. Cap. VI.*

h) CEL. D. IO. FRANC. BVDDEVS *in Theibus theologis de Atheismo et Superstitione Cap. VII. §. III. p. m. 576.*

i) Inscribitur hic liber *Reponse a l'histoire des Oracles de Mr. de Fontenelle.*



Ceterum facile largimur, posse circa hanc rem plura, forte et aptiora, argumenta pariter, atque exempla, ex Autoribus probatis arcessi. Nec enim est, quod opus exquisitum ac numeris omnibus absolutum, cuiusmodi uix Veterani sistere possunt, a Tyrone expectes. Quare etiam nobis exorandus es B. L. ut hoc quaecumque studiorum nostrorum specimen aequi consulas bonique, et, si qua minus commode posita, aut non solide satis demonstrata, deprehenderis, in benigniorem eadem interpreteris partem.

## I.

**N**obis, DE VERO ORACULORVM PRAESIDE acturis, ante omnia indicandum est, quid per Oracula, quid per Praesidem, intelligamus. In primis autem ipsum oraculi uocabulum omni sensu anticipi liberandum, ne singulae uoces, male intellectae, ambiguum lectori sententiam relinquunt. Atque hoc quidem eo magis necessarium uidetur quo plures uocabulum aliquod admittit significationes. Eius esse loci uocabulum Oraculi, ambigi nequit, quod uariae eius, apud scriptores etiam probatissimos, notiones occurrunt.

## II.

**N**on est animus, in praesenti inquirere in originem natalesque uocis Oraculi, aut demonstrare, undenam in lingua latina, quam commodissime deduci possit *k*). Sufficiat nobis indicasse, uocabulum Oraculi esse *πολύσημον*, et modo locum, quo edita fuere quondam Oracula, ita appellari, modo leges et statuta Regum ac Imperatorum hoc titulo insigniri, modo uiri alicuius sapientis celebre, ac ueluti diuinum, dictum hoc elogio ornari. Ut alias quam plurimas huius  
uoca-

*k*) Cui id inquirere uolupte est, adeat DAN. CLASENIUM *de Oraç. Gentil. Lib. 1. Cap. II. p. 6.* et ab eo citatos, item SERVAT. GAL- LAEVM *de Sibyllis Cap. XIII. p. m. 222.*



uocabuli significationes l), minus usitatas, silentio transeamus.

### III.

Quod si celebriorem huius uocabuli usum inuestigamus, deprehendimus, illo denotari, orationem, responsum, effatum, Deorum. Hinc Senecae descriptio, quod *Oraculum* sit *uoluntas diuina, hominis ore annunciata m)* sine dubio nata est. Plenior tamen, et Deastris Gentilium conuenientior, est descriptio, quam suppeditat DAN. CLASENIUS n) quod sit *responsum certi Daemonis uel Spiritus, interroganti de rebus futuris, aut dubio quodam casu, datum.* Sed cum hoc in quaestione adhuc uersetur, nec ab omnibus admittatur, Oraculum esse responsum certi Daemonis, etc. nos interim illud ita describemus: quod sit *responsum certi alicuius suppositi rationalis, de obiecto quodam praesenti uel futuro, ex nexu causarum secundarum non facile obuio.*

### IV.

Graecia, ut omnis generis Idololatriae et superstitionis fertilissima fuit, o) ita et cultui Oraculorum maxime dedita perhibetur. Ad DELPHOS enim, DODONAM, p) et alia huius gene-

l) Quas ordine adducit et probat CLASEN l. c. Conf. CAROLI DV FRESNE *Glossarium* Tom. III. Voc. *Oracul.* p. 52.

m) Referente OLAO BORRICHIO in *Oratione de Oraculis Antiquorum*, Vol. II. *Orat.* p. 444.

n) l. c. pag. 8.

o) Comprobat haec iudicium I O. OVVENI in *Theologum* Lib. III. Cap. X. §. 2. p. m. 242. *Graeci, inquit, praecipui Deorum fabricatores erant, usque adeo, ut Graecia non inepte Patria et officina Deorum dici so- leat.* Conf. quoque CLASEN. l. c. Lib. II. Cap. I. p. 237. seqq.

p) Dodonae fagus Oracula edidisse fertur, de quo uideri potest STEPH. BYZANTINVS de *Dodone*, quem, notis et animaduersionibus illustratum, exhibet GRONOVIVS *Tbesauro Antiquit. Graec.* Vol. VII. p. 294. Sunt, qui non fagum, sed quercum prope Dodonam uocalem exstitisse, contendunt, inter hos IAC. TRIGLANDIVS in *Collectaneis de Dodone*, quae exstant in eodem *Tbesauro* GRONOV. Vol. VII. p. 324.



generis loca, q) subinde aduolabant Graeci, consulturi DEOS, de exitu bellorum, aliisque maioris momenti negotiis, quorum causa et euentus non cuius patebant. Quae igitur illinc responsa referebant, χρησμοί, χρησμοδίαι, χρησμολογίαι, μαντεύματα, θεόφρατα, θεσπίσματα, illis dicebantur.

## V.

**P**er PRAESIDEM uero h. l. intelligimus causam efficientem principalem, seu summum Moderatorem Oraculorum, qui Vates et Antistites excitauit, illisque, quid respondendum esset, suggessit. Quem proinde, in causis praesertim grauioribus, Pythia adire, et occultorum manifestationem ab eo petere, debuit.

## VI.

**Q**uae cum in promptu sint, et insuper omnia, Graeciae pariter ac Latii, literarum monumenta, magno numero, oculis nostris subiiciant, reddita a Sacerdotibus, Deorum apud homines Interpretibus, responsa, qua ratione existentia istiusmodi Oraculorum, de quibus iam agimus, in dubium reuocari possit, non uidemus. Quare opus non erit, ut Oraculorum existentiam operose probatam demus. Vnum tamen alterumque exemplum adducemus, quoniam eius in sequenti tractatione usus esse poterit. Seligemus autem potissimum eiusmodi, ubi exitus, qualis insecutus est, non absolutae necessitatis fuit, aut ita euenire debuit, sed potius a quam plurimis causis secundis, et intermediis superuenientibus, impediri potuit, quin et hominum interfuit, dari operam, ut quanto possent studio, euentum declinarent, uel impletionem Oraculi alio modo adiuuarent.

## B

## §. VII.

q) Erant etenim, praeter memorata, in Graecia, aliisque regionibus, Oracula numero non pauca. IUL. CAES. BULENGERVS eorum CLX. totidem Capitibus describit, in *Tract. de Oraculis et Vatibus*, quem reperire licet apud GRONOV. l. c.



## VII.

**P**rodeat primum HERODOTVS, r) qui memoriae prodidit, Croesum, Lydorum Regem, de filio suo muto, Oraculum consuluisse, numne Filius usum linguae consecuturus esset, tum Pythiam respondisse, ne hac de re consuleret, uel anxie id quaereret. Filium enim primum locuturum, in die Patri infelici. Postea accidit, ut, capta urbe, miles quidam Croesum ignotum inuaderet, eum occisurus. Id ubi filius mutus conspexit, Homo, inquit, ne perimas Croesum. quae effatus, postmodum per omne uitae tempus uocalis exstitit. Iungamus huic simile exemplum, quod habet IUSTINVS s) Pompeii Trogi Epitomistes. Cirno, Infu-

r) Lib. I. Sect. LXXXV. p. m 35. Edit. Frf. 1608 Cum auctoritas et fides HERODOTI, a non nullis in dubium uocentur, nos uero plus uice simplici ad eundem prouocemus, et ab eo relata afferamus, necesse erit, ut prius fidem huius Historici ab iniuriis uindicemus, et, quanti merito aestimandus sit; ostendamus. Faciemus id non nostris, sed Io. HARDVINI, Censoris alias ac Critici rigidissimi, uerbis Ita uero ille, aornaturus Chronologiam Vet. Test. in OPP. SELECTIS p. 513. Edit. quae prodiit Amstelod. MDCCIX. E Scrip-  
toribus, ait, antiquis, HERODOTVM unum, PLINIUM QVE, testes adducimus, alterum Historiae Parentem, ut Viri periti suo illum merito nuncupant ---- cum HERODOTI narratione, b. e. cum ea descriptione temporum, quam ille instituit, ea mirifice congruunt, quae sacrae literae prodiderunt ---- Caeteris igitur Scrip-  
toribus ualere iussis, siue quod sint omnes HERODOTO posteriores, siue quod longe minus accurati, quam uel ipse uel Plinius est, ---- bis inquam duobus, HERODOTO PLINIO QVE, stamus, quorum mirificum esse consensum, in notatione temporum, cum sacris literis deprehendimus. Si qui CTESIAM, DIODORVM, similesque fabularum narratores, HERODOTO, PLINIO QVE anteponunt, ii palam faciunt, se nec ullum habere gustum in probis Scrip-  
toribus aestimandis secernendisque a uili grege -- -- duos ex infinito numero scriptores selegimus NB. OMNI EXCEPTIONE MAIORES, eoque pluris faciendos, quod et inter se ipsi, ut diximus, et cum diuinis codicibus, in successibus regum et ratione temporum, egregie conspirent atque consentiant.

s) Lib. XIII. Cap. VII.



Insulae Theramenis domino, fuisse filium, ob ligamentum linguae *Battum* cognominatum. Huius parentem, profectum ad Oraculum, ut deprecaretur Deum, ob dedecus filii nondum loquentis, id responsi tulisse, *ut Filius Battus Africam peteret, et urbem Cyrenem conderet, tum linguae usum illum esse accepturum.* Executio huius mandati propter solitudinem Insulae, et exiguum incolarum numerum, qui tantus non erat, ut auderent coloniam in Africam mittere, et tam vastae regionis incolas bello adoriri, intermissa. Vbi autem, peste afflicti, et ex insula migrare coacti, Africam petiere, pulsus accolis, montem Cyran occuparunt, urbem condituri. Ibi Dux eorum Battus, linguae nodis solutis, loqui primum coepit.

## VIII.

**H**is uti prospera et amoena praedixere Oraculorum antistites, quorum felicem exitum sensere interrogantes, ita pariter *Cambysi*, Regi Persarum, locum mortis sciscitanti, responsum dedere, cuius ueritatem exitus comprobauit. Praedixerat nimirum Oraculum Latonae, *Cambysem in Ecbatanis moriturum.* Licet igitur Cambyses omni studio ueritatem Oraculi eludere, et uaticinii impletionem declinare anniteretur, hancque ob causam *Ecbatana*, *Mediae* Prouinciae Metropolin, ingredi nollet, impedire tamen non potuit, quo minus, praeter omnem spem atque opinionem, effato Oraculi sua constaret ueritas, et *Ecbatana Syriae* locus illi fatalis essent. Nam, cum exercitum quam raptissime posset, *Susa* uersus duceret, insilienti in equum uagina gladii excidit, unde nudatus gladius ita grauitur femur Cambysis perstrinxit, ut hic, sibi hoc uulnere pereundum, mox animaduerneret. Quare uulneratus, quodnam oppido nomen esset, interrogauit audiens, illud appellari *Ecbatana*, uerba Oraculi expendens. *Hoc in loco, inquit, fatale est, Cambysem decedere, nec multo post extinctus, teste HERODOTO.* <sup>1)</sup> Simile huic est,

B 2

quod

<sup>1)</sup> HERODOTVS Lib. III. Sect. LXIV. p. m. 187.



quod de *Alexandro, Epirotarum Rege*, memoriae proditum legimus. Huic ab Oraculo praedictum, *Caueret Acherusium amnem, Pandosiamque urbem, ibi fatis eius terminum dari*, utraque loca, cum in *Epiro* essent, Rex ignarus, etiam in *Italia* dari, peregrinam militiam cupidius elegit, et, quamuis susceptum bellum sub initio successus haberet felices, omniaque ex animi sententia cederent, ad extremum tamen *prope Urbem Pandosiam, et flumen Acheronta, exstinctus est*. Sic igitur, quo in loco ultima illi imminerent fata, Auctorem Oraculi uere exploratum habuisse, compertum est, referente *IUSTINO. u)*

## IX.

**P**ossemus uel sexcenta huius generis Oracula in medium afferre, iisque existentiam Oraculorum probatam dare, nisi chartae parceremus, et Veterum pleraque Historiarum monumenta his atque istiusmodi Oraculorum responsis referta deprehenderemus. Maioris forsitan momenti res, et operae pretium erit, inquirere, quinam Praeses, uel quaenam causa prima ac principalis, Oraculorum constitui debeat, cum ex hac causa auctoritas, illorum magnam partem pendeat, quin et, hac cognita, de ueritate et falsitate illorum eo facilius sit iudicium.

## X.

**C**um in hunc usque diem mortalibus euenire soleat, ut, in determinandis rerum et effectuum causis, ex imbecillitate ingenii humani, aut ignorantia causarum secundarum, harumque effectus, fallaciam causae non causae saepius admittant, non est mirandum, ueteres Philosophos, longe minoribus, ad indagandas rerum physicarum proprietates et uirtutes, subsidiis ac nos instructos, frequentiores errores suscepisse, et causis materialibus effectus rationales adscripsisse. Haec ueri ignoratio dubio procul causa fuit, quam ob rem uaporibus exhalationibusque terrae et aquae x) tantam tribuerent uim, quae

u) *IUSTINVS* Lib. XII. Cap. II.

x) *Sic apud Colophones aqua bibita uaticinandi uirtutem praebat, apud Bra-*



quae futurorum cognitionem hominibus ingenerare, et diuina Oracula producere, ualeret. Tali ratione uapores et exhalationes terrae uel aquae principium, et causam efficientem principalem, Oraculorum constituebant, et materiae uirtutem effectumque rationalem producendi tribuebant. Neque infimi Ordinis Philosophi hac in sententia fuisse perhibentur, ut CICERO y) PLINIUS, z) PLVTARCHVS a) aliique.

## XI.

Licet uero hanc suam, de principio Oraculorum, opinionem, magni isti Philosophi, eorumque aetate, non nunquam ita proposuerint, ut, facultatem diuinandi mortalibus naturalem esse, b) uaporibus uero et exhalationibus terrae, uel fontis, excitari tantum et adiuuari uoluerint, c) ne sic tamen particulas,

B 3

culas,

*Branchides uero, uapores ex aqua bauriens diuinabat. VENERIVS de Orac. et Diuination. Antiquorum Cap. l. p. m. 2. Apud Lebadiam Boeotia haustum uaticinationis responsa desiderantibus, praebet, scribit PLVTARCHVS de Oracul. Defectu Tom. II. Opp. p. 411. Edit. Frst. 1620.*

y) CICERO hanc mentem non obscure indicat *Lib. I. de Diuin. Terrae uis*, scribens, *Pythiam incitabat*, prouti uerba eius adducunt GALLAEVS *Dissert. de Sibyllis Cap. XIII, p. 242.* et uan DALEN *de Oraculis Etbnic. p. 74.* et eodem *C. I. de Diuin. Credo etiam anbelitus quosdam fuisse terrarum, quibus affatae mentes, Oracula funderent*, referente IUL. CAES. BULENGERO, *de Orac. et Vatib. apud GRONOV. Thes. Antiq. Graec. Vol. VII. p. 16.*

z) De PLINIO id constat, ex *Lib. II. Cap. XCIII. Alibi*, dicente, *fatidici specus, quorum exhalatione temulenti, futura praecinunt, ut Delphis nobilissima Oracula.* uti uerba eius adducit GALLAEVS l. c.

a) *De Defectu Oracul. passim.*

b) Hanc fuisse mentem quorundam Philosophorum ueterum, colligimus ex uerbis AMMONII, *Nos autem, dicentis, et sacrificamus, et uota facimus, nescio sane cur Oraculorum istaec gratia, siquidem animae nostrae in se uim habent diuinandi, quam aeris aliqua aut uenti excitet temperies.* PLVTARCH. *de Orac. Def. p. 435.*

c) Audiamus PLVTARCHVM, *Non enim Dei aut rationis expertem facimus*

cimus



culas e terra uel fonte surgentes, pro causa Oraculorum principali habendas esse, infra ostensuri sumus. Quotus enim quisque nostrum est, qui uelit huic sententiae, particulas salinas, sulphureas, nitrosas, uel cuiuscunque demum fuerint conditionis, pro Oraculorum causis habendas esse, subscribere. Quin potius ita colligamus, Causam non posse deteriore esse effectu, cumque nonnulli Oraculorum effectus, ut manifestatio rerum abditarum, et futurorum praedictio (siue uera certaue ea fuerit, siue mere coniecturalis) aliique, sint rationales, necessario quoque principium et causam efficientem illorum suppositum aliquod intelligens, et cum ratione agens, constituti debere.

## §. XII.

**A**gnouere idem Gentilium Philosophi, *d*) numero non pauci. Hi probe animaduertebant, inique et contra rationem agere, qui materiae (ad quam classem uapores et exhalatio-

---

*cimus diuinationem, dum ei pro subiecto animam humanam, Spiritum uero seu uaporem, Entusiasmos cientem, instrumenti plectriue loco, tribuimus l. c. p. 436.*

*d) AMMONII testimonium nobis hac uice sufficiat: Mea autem, dicentis, grauior est, ac maioribus de rebus dubitatio. Ante, nescio quomodo, oratione eo rem deduximus, ut a Diis diuinationem ad Genios utcunque reiecerimus. nunc uidemur mihi hos iterum Oraculo et tripode detrudere, atque exturbare diuinationis principium, imo ipsam substantiam ac uim in Spiritum, uapores exhalationesque referentes. Et, ubi quosdam scrupulos mouerat, quod uis terrae non semper, nec omnes Personas, sed solam Pythiam incitaret, et ne hanc quidem, nisi certi ritus praecesserint, hostia toto corpore contremuerit, etc. quae omnia secus esse deberent, si uapores in causa essent, pergit: Atqui certe necesse est, ut haec cum faciunt, et fieri debere statuunt, Diis aut Geniis eorum causam adscribant. quo tu modo rem explicabas, probabile non est. uapor enim, siue tremat uictima, siue non, ubicunque aderit, diuinum instinctum incutiet, animumque afficiet, idque non tantum si Pythiae, sed si quodcunque corpus attingerit. PLUTARCHVS l. c. p. 435.*



lationes necessario referuntur) insignem adeo uirtutem, tantamque efficaciam affingerent, ut uel animam mouere, eandemque ad diuinandum incitare, uel spiritus uitales ad producenda Oracula habiles reddere, posset. Non enim ita stupidi aut obesae naris erant, ut nescirent, subterraneos halitus, qualescunque demum sint, non posse animo nouam diuinamque facultatem ingenerare, aut eundem ad uaticinandum disponere, cum fieri nequeat, ut uapores animam sic attingant, eamque penetrent. Corpus quidem, et Spiritus uitales, exhalationibus moueri, et uarie affici posse, in aprico est. Etiam illud largimur, contingere, ut, corpore afflicto, anima per *συμπάθειαν* affligatur ac turbetur, et contra, si corpus blande afficiatur, aut odore grato recreetur, anima, ob intimum, quo cum corpore unita est, uinculum, felicitate corpori obueniens gaudeat, atque exultet. Tantum tamen abest, ut conditio animae hoc ipso melior reddatur, aut potentia et facultates eius ad diuinandum usque euehantur, ut potius experientia declaret, si homo uehementer, et ad furorem usque, commoueatur, qualis commotio Pythiae in tripode, et antistitibus uaticinantibus, obtigit, imminui eo ipso uires animi, et hominem in tali statu minus idoneum esse officiis peragendis, quibus, corpore recte constituto, sine multa opera par erat. Nullam igitur uapores animae perfectionem addere poterunt, aut naturales eius facultates augere. Nec exspirationes terrae uel aquae hauriens, aptior erit ad diuinandum, quam quilibet uir prudens, qui iusta *εὐκρασία* gaudet, et animo praesenti de rebus propositis, earumque circumstantiis, cogitat. Huic uero futurorum cognitionem, et uaticinandi facultatem, minime competere, ex infra dicendis patebit.

## XIII.

Quod cum probe intelligerent sapientiores Gentilium, spiritus huius sententiae, uapores et halitus terrenos principium Oraculorum esse, nugis, dignam, et conuenientem isti potentiae, causam quaesiuere, eamque ex classe Spirituum petendam,



dam, iudicarunt. *e)* Hic, ubi non unius generis Spiritus deprehenderent, in diuersas porro abiere partes. Pars Spiritum illum increatum, DEVM ter Optimum maximum, qui solus omnia scit, quae in toto terrarum orbe geruntur, et, quae praedixit, implere ualet, Praesidem Oraculorum constituebant. *f)* Pars, cum Majestate diuina hoc indignum putarent, Genios, Deorum ministros, Oraculis praeesse statuebant, *g)* cumque animaduernerent, nonnulla Oraculorum responsa ita comparata esse, ut bonae indolis genium uel Daemonem auctorem habere non possent, alia Oracula a bonis, alia iterum a malis geniis proficisci, contendebant. Alii animas humanas a corpori-

- e)* probant hoc uerba PLVTARCHI, supra §. XI. Nota (c) adducta, quibus mox subiungit. *Iam primum terra, quae exhalationes istas parit, tum, qui omnis temperiei ac mutationis facultatem terrae largitur, Sol, Dii maiorum nostrorum instituto censentur.* Et, quamuis Cicero, quem supra adduximus, uim terrae Pythicam incitasse dicat, non tamen mere naturalem, sed supernaturalem quoque et diuinam intelligere uidetur. *Quid enim, scribens, tam diuinum, quam afflatus ex terra mentem ita mouere, ut eam prouidam rerum futurarum efficiat, ut ea non modo cernat multo ante, sed etiam numero uersuque pronuntiet L. II. Diuin. Cap. CXVII. et IAMBlichvs Omnis, inquit, uera legitimaque diuinationis est opus diuinum, quamuis multae ipsius species reperiantur. Etiam, quae homines praenoscent, nunquam absque numine et opera Deorum fieri, putat, prouti uerba mentemque eius refert Venerius de Orac. et Diuin. Cap. VII. p. m. 31.*
- f)* Hinc IAMBlichvs. *Vaticinatio non potest ab aliis deduci, quam a Diis, qui continent in se ipsis terminos omnium rerum. Vener. l. c.*
- g)* Apparet id ex uerbis Heracleonis apud PLVTARCH. de Orac. Def. p. 418. *Tum Heracleo: Quod Oraculis, inquit, praeesse statuuntur non Dii, quos par est nihil habere cum terrestribus negotiis, sed Deorum Administri Genii, id uidetur mihi non male pronuntiatum esse; Et PYTHAGORAS putauit, totum aerem plenum esse animis, eosque et Daemones et Heroas existimari, atque ab his immitti somnia -- et diuinationem omnem et uaticinia et caetera id genus, referente DIOGENE LAERTIO, et ex eo uan DALEN de Orig. et Progr. Idol. C. III. p. m. 32.*



poribus solutas Oracula moderari. Alii denique, homines, opibus pollentes, lucri causa Oracula instituisse, et sagaciores homines iis praeposuisse, qui interrogantibus responsa darent, et sua cogitata pro diuinis Oraculis uenditarent, audacter affirmare non dubitarunt. *b)* Nos, quid de singulis existimandum, et cuinam proprie, ueluti causae efficienti principali, tribuenda sint Oracula, ordine dispiciemus.

## XIV.

**G**entiles, diuina luce non collustratos, et lumine rationis minus recte utentes, in cogitationibus suis stultos esse redditos, testatur Apostolus, *Rom. I, 21. seqq.* Hinc factum, ut non solum ad *πολυθεότητα* proni essent, sed et, in Theologia sua, uaria falsa et absurda Diis affingerent. *i)* His accensendum, quod multi illorum, sine ullo discrimine, DEOS Oraculorum autores pronuntiarint, cum tamen, adhibita in consilium ratione, factaque diligenti inquisitione, facile colligere potuissent, DEVM sanctissimum, pariter ac ueracissimum, non posse falsum aliquod eloqui, aut impium factum imperare. Iam uero subinde eueniebat, ut effatis Oraculorum misere deciperentur mortales, *k)* impia facinora exequi iuberentur, *l)* ne

C

dicam

*b)* Placuit haec sententia praeter ceteros uan DALEN, Medico Harlem. et SERVATIO GALLAEO, Pastor. Eccles. eiusd. loci, qui Dalenio pollicem premit, in *Dissert. de Sibyllis Cap. XIII. p. 244.* de quibus infra pluribus. Haud ita pridem eandem amplexus est BASNAGE *uid. sup. pag. 4. not. (a)*

*i)* Iouis Adulterium, Mercurii furta, Martis stupra, aliorumque Deorum rixae, contentiones, praelia inter se, aliaque facinora, notiora sunt, quam ut a nobis adducantur.

*k)* expertus id magno suo damno Croesus, qui, post bellum infeliciter gestum, pyra liberatus, hoc a Cyro petiit, ut liceret sibi, uincula et compedes, quibus uinctus fuerat, Oraculo Delphico dono mittere, et percontari, *Numquid ei fas sit, bene de se ipso merentes decipere.* HERODOTVS *Lib. I. Sect. XC. p. m. 38.*

*l)* Tale iussum acceperere Messenii, qui uariis afflicti calamitatibus, Delphi-



dicam ambiguis *m*) Oraculorum responsis ita circumducentur, ut nouo saepius Oraculo opus esset, ad sensum prioris genuinum percipiendum. *n*)

XV.

phicum adeuntes Oraculum, hoc responso dimissi, *Nescia uiri puella, Geniis inferis, Aepytidum ab alto sorte ducta sanguine, det colla nocturnis secanda caedibus. Vos haec ad undas Hallyi facite sacra, libenter ipsam Virginem dantes necl.* PAVSANIAS Lib. IV. p. 233. Carthaginenses peste laborantes, iussi, homines uiuos Saturno immolare. IUSTIN Lib. XVIII. Cap. VI. n. 11. 12. Oraculi Dodonei Antistitam, Boeotis respondisse: *rebus usuros secundis, si impie agerent,* refert STRABO Lib. IX. p. 616. Edit. Amstel. de anno 1707. Orestis consilium ab Oraculo datum, ut Matrem interficeret. *Natal. Comitum Mytholog. Lib. IX. Cap. II. p. m. 983.* Vide plura huius furfuris exempla, collecta a CLASEN. *l. c. Lib. I. Cap. XVIII. p. 142. seq.*

*m*) Tale erat Oraculum, Philippo Macedoni datum, *Φυλάττεσθαι δὲ τὸ ἄρμα, Cauendum sibi esse Harma.* iam prope Thebam palus erat ita dicta, et *ἄρμα* quoque denotat currum, cuiusmodi Pausanias, in capulo gladii, quo Philippum interfecit, ex ebore sculptum, habuit. AELIAN *Variar. Histor. Lib. III. C. XLV. p. m. 248.* Edit. Argent. 1713 pertinent huc responsa, Cambysi Persarum, et Alexandro Epirotarum, Regibus data, quae supra adduximus.

*n*) Ut dictis fidem faciam, prouoco ad responsum Lacedaemoniis datum, de tumulo Orestis, filii Agamemnonis, quem locum Oraculum descripsit his uerbis:

*Est quaedam Arcadiae Tegea in regione patenti,  
Hic duo flant uenti, ui peruebemente coacti,  
Forma hostis formae, et plagae superaddita plaga.  
Hic Agamemnonides terra omniparente tenetur,  
Quo tu sublato, Tegeae sperabere uictor.*

HERODOT. Lib. I. Sect. LXVII. p. m. 27. hic uel Oedipo opus est, qui diuinet, describi uersibus his officinam fabri ferrarii. In recentiore historia deprehendimus exemplum, huic non admodum ab simile, ubi Diabolus pari ratione illudit PETRO ALOISIO DUCI PARM. et PLAC. qui, de coniuratione aduersus se certus, coniuratorum nomina, a Diabolo, incantationibus euocato, expiscari uoluit, nihil uero aliud responsi loco tulit, quam, *diligenter inspiceret*

in



## XV.

**D**eum uerum quondam Oracula et responsa dedisse, nemo, nisi qui auctoritatem Scripturae S. in dubitationem deuocat, negare audebit. Ex illa etenim scimus, DEVM olim πολυμερῶς ἢ πολυτρόπως, multifariam, multisque modis o) Patribus locutum esse, ad Ebr. I, 1. Horum tamen, de quibus iam agimus, Oraculorum gentilium DEVM facere auctorem, ipsi essentiae ac naturae DEI aduersaretur, lumini rationis repugnaret, sacris denique literis liquido contrarium foret. Nobis enim ex sacro Codice nouisse datum, DEVM non esse DEVM, qui approbet impietatem. Ps. V, 5. Mandata Iehouae esse recta, Ps. XIX, 9. Oculos eius esse puriores, quam ut uideat malum, Habac. I, 13. Non Virum esse DEVM, ut mentiat, Num. XXIII, 19. et inuictum Israelis non mentiri, I. Sam. XV, 29. Ex quibus, et innumeris aliis, S. Scripturae locis, pronum est colligere, non potuisse DEVM sanctissimum, cum ambiguis, falsis, impiis, Oraculorum responsis ullum habere commercium. Accedunt et aliae rationes, quae idem euincunt. Si enim locum spectamus, Oracula illa Gentilium non e caelo percipiebantur, sed ex antris, specubus, aliisque locis subterraneis, prodibant, cuiusmodi loca inferiora et tenebrosa Spiritui quidem tenebrarum, ut domicilium, adsignantur, nulli tamen in sacro Codice legimus, DEVM e terra uel specu locutum esse, aut suam reuelasse uoluntatem. Si Ministros

C 2

intu-

*in monetam suam, ibi et locum coniurationis, et coniuratorum nomina reperiturum. id, tum non intellectum, et pro delusione habitum, facta autem caede uerum fuit deprehensum. nam uox P L A C. monetae impressa, denotauit locum Placentiam, ubi caedes facta, singulae uero literae parricidas: Pallauicinos, Landum, Anguisciolam, et Confalonerium, designarunt. cui relationi ἐπίκρισιν suam subiungit Thuanus, quod inter memorabilia magicæ delusionis exempla merito recenseri possit Vid. IAC AVG THUANVM Lib IV p. 87 88.*

o) Modos hos ordine recenset, et prolixè de illis agit, EDO NEVHVSIUS in *Fatidicis sacris Lib. I. Cap. II. seq.*



intuemur, deprehendimus, Pythiam uel Antistites, in ecstasi constitutos, et furore correptos, uaticinari, et uoluntatem Deastrum manifestare. p) Longe uero aliter se res habebat cum Prophetis, Sanctis Dei Viris. hi nunquam, furore inflammati, reuelationes accipiebant, aut conciones suas habebant, potius praesenti semper erant animo, ubi uel maxime a Spiritu S. agebantur, et, quamuis interdum, iustissima ira, et diuino Zelo moti, populo peccata sua ob oculos ponerent, illumque increparent, omnis tamen furor longissime aberat. Quod si denique organa corporis, quorum ope Ethnicorum Oracula saepius proferebantur, consideramus, illa diuino ministerio indignissima iudicare cogimur. Soli enim Spiritui immundo competit, per pudenda mulierum responsa dare. Impium itaque foret, DEVM sanctissimum, Oraculorum, quae inter Ethnicos uigere, Praesidem constituere.

## XVI.

**D**EVVM, ut Spiritum increatum, excipiunt Spiritus creati completi, quos Daemonum et Geniorum nomine insigniuere Philosophi Gentilium, et pro Deorum administris habuere. Duo illorum esse genera, agnouit iam MERCURIUS, ut fertur, TRISMEGISTVS. q) Quod Genios seu Daemones

p) Paret hoc ex uerbis PLATONIS *Nam ipsa (anima) dum sanae mentis sumus, sensuum et ratiocinationis officiis impeditur, et non patet afflatui diuino: propterea non sapientes, sed fatidici, uaticinantur; qui omnia, quae in ipso furore dicunt, ignorant. Vnde lex iubebat, sapientes Viros illis praeesse, a quibus eorum dicta notarentur Vener. l. c. Cap. VII. p. m. 39.*

q) Mercurius Trismegistus, quia ex eis, quae a Daemonibus fieri credidit, quaedam bona, quaedam mala essent, Daemonum genus in bonum ac malum diuisit, et huic sententiae omnes Aegyptiorum Theologi postea assensu sunt. scribit VENER. de Orac. et Diuin. Cap. III. p. m. 14. Nos quidem non fugit, PETR. IVRIEV dans l'histoire critique des Dogmes et des Cultes P. III. Cap. V. p. 496. rationibus non contemnendis adstruere, binos istos Dialogos, POEMANDRI et AESCVLAPII



mones hosce Oraculis praesse statuerint, ex iis iam patet, quae supra allata sunt, quod uero utrosque, et bonos et malos, Oracula moderari crediderint, elucet ex sententia Porphyrii, Iamblichi, et Aegyptiorum, a Venerio allata. r) De substantia, indole ac natura, horum Daemonum tam uarie sentiebant, ut optime huc quadret tritum illud: Quot capita, tot sensus. Mox enim DEOS, mox Genios, mox Heroas, mox homines, quin et animam hominis, Daemonis nomine insigniebant. s) Sane, quicumque ueterum Philosophorum Scholas, uel a limine, salutauit, et PLATONIS, PLUTARCHI, aliorumque, de Daemonibus et Geniis Scripta uel per transennam, ut aiunt, lustrauit, fateri cogetur, uerissimum esse B. D. FALCKENII iudicium, quo hanc de Geniis doctrinam intricatam rem appellat. t) Tentaremus tamen huic spinosae et tenebris inuolutae materiae quandam praefere facem, nisi id ab instituto nostro paulo alienius foret, et otium hic nobis fecisset commemoratus B. D. FALCKENIVS. u)

C 3

XVII.

PII, nomine inscriptos, qui huic Mercurio tribuuntur, scripta esse supposititia. Quoniam uero exinde non statim consequitur, doctrinas, in illis contentas, non esse Mercurii aut Aegyptiorum, cum ex aliis autoribus constet, Aegyptios et veteres Philosophos idem sensisse, *Vid. B. D. FALCKEN Daemonolog. Diss. II. §. VIII. p. 20. sqq.* ideo ueritati theaeos nostrae nihil decedit, siue alium, siue cum Venerio Mercurium, huius diuisionis autorem adducamus.

r) l. c. Cap. IV. p. m. 17. *Vnde enim, ait, nisi ex Aegyptiorum capis Porphyrius et Iamblicus perpotarunt, malorum Daemonum proprium esse mendacium, hos esse, qui in Oraculis mentiuntur, et turpia consulant, hos omnia agere, ut Dii uideantur, et potestatem, eis praesidentem, cupere pro Doo maximo haberi, propterea ueritatem aliquando dicere, ut fidem nostram sibi concilient, et quaedam bona quandoque praestare, ut nobis boni appareant.*

s) Conf. B. D. FALCKEN *Daemonol. Diss. II.*

t) l. c. § III. p. 25.

u) l. c. ubi Gentilium Philosophorum, Ebraeorum, Patrum primitiuae

tiuae



## XVII.

**D**efectus reuelationis, indeque resultans ignorantia, Philosophis Ethnicis fons et origo opinionum, de Spiritibus adeo diuersarum, existit. Nos, quibus clarior affulsit notitiae et ueritatis lux, duce diuina pagina, certiolem habemus de Spiritibus creatis completis notitiam, et edocti sumus, illos esse Spiritus intelligentes, sapientes, potentes, conditos, ut DEVM celebrent, homini inseruiant, et aeterna felicitate fruantur. Ab officio, quod sustinent, Angeli dicuntur. Horum quidam originem suam non retinuerunt, sed proprium relinquere domicilium, et a DEO defecerunt. *Epist. IVDAE u. 6.* quos proinde, auctoritate Scripturae S. Angelos et Spiritus malos, Diabolos et Daemones, appellamus. Alii uero in ueritate et obedientia perstiterunt, indeque, distinctionis gratia, Angeli boni cognominantur.

## XVIII.

**Q**uod si iam de his sanctis DEI Ministris quaeritur, an illi Oraculis Gentium praefuerint, aut Vatibus, quid respondendum esset, suggererint, simpliciter id negandum erit. Hi enim, ex omnibus creaturis, quam proxime ad sanctitatem DEI accedunt, nec in concreata solum iustitia et sanctitate perstiterunt, sed et faciem Patris nostri in coelis semper uident. unde in bono ita iam confirmati, ut a concreta integritate ne transuersum quidem unguem recedere, aut aliquid DEO aduersum admittere, possint. Adhaec nihil faciunt iniussu diuino. unde etiam dicuntur facere uerbum ipsius, obedire uoci uerbi ipsius, Ministri facientes uoluntatem ipsius, Ps. CIII, 20. 21. Iam uero, ut ipse DEVS, per sanctitatem suam, Gentilium Oraculis praesse nullo modo potuit, ita quoque sanctis suis Ministris praesidium istorum Oraculorum iniungere nequit, quia hoc

---

tiuae Ecclesiae, Haereticorum, etiam proximorum abhinc Seculorum de Daemoniis sententiam ordine recenset, et suum denique subiungit iudicium refutationemque. Eandem materiam pertractat D. G. OLEARIVS *Dissert. de Genio Socratis §. II.*



hoc pacto causa moralis peccati euaderet. Proinde in Angelos bonos suo modo, aequae atque in DEVM, non cadit, ambiguis sermonibus homines decipere, multo minus falsa aut mendacia proferre, uel impia facinora imperare.

## XIX.

**E**t si uero anima humana spiritus est incompletus, et hactenus inferior angelis; tamen quia substantiae angelicae quod ad substantiam suam similima, et non solum malitiae sanabilis, sed etiam pretioso sanguine Iesu Christi redempta est, ideo praestat multis Diabolis, adeo, ut optimo iure eius consideratio praemittatur, hancquae insuper ordo tractationis postulet. Dispiciendum igitur, an animae, separatim a corporibus existentes, Oracula suggerere, aut iisdem praesse potuerint, ut causa efficiens principalis eorundem dicendae sint. Philosophos Gentiles hac in sententia fuisse, tot literarum monumenta dubitare nos non sinunt. Non tamen omnes hac de re idem sentiebant. Quidam enim in ea erant opinione, animas iam ante exstare, quam corporibus immitterentur, x) illas tum in in consortio Deorum uiuere, ibi multarum, etiam futurarum, rerum notitiam sibi acquirere, corporibus itaque coniunctas, earundem recordari. y) Quod uero tum iam Oraculis praesint, eademque dirigant, nondum memini obseruare. Alii, animas, cum corporibus iunctas, uaticinandi futuraque praenunciandi facultate pollere, strenue asseuerabant, z) uel quod haec

x) Pythagoras, Plato, Plotinus, et reliqui eius sectae, animas immortales esse, statuentes, ante corpora eas exstare, et ex corporibus in alia corpora migrare, docuerunt. uerba sunt THOM. STANLEII in *Historia Philosoph.* Part. VIII. de *Doctrina Pythag.* P. II. Sect. IV. Cap. IX. p. 776.

y) PLATO putat, animam sibi modo recordari ea, quae, antequam corpori immitteretur, in consortio Deorum uiuens, uiderit. scribit VENERIVS l. c. Cap. VIII. p. 39.

z) Idem VENER. de ita dicto Mercurio Trismegisto affirmat, quod hac in sententia fuerit, quam ut eo facilius aliis persuaderet, hominis



haec facultas illis naturalis, (de qua sententia quid statuendum, infra commodior differendi se offeret occasio) uel quod ex commercio cum aliis animabus futurarum rerum notitiam adipiscantur. *a)* Alii denique animabus, corporis uinculo solutis, hanc praecipue uirtutem tribuebant, ut, illas prope sepulcra, *b)* arbores, statuas, fontes, multisque in locis aliis, comorari, et hominibus, de euentu rerum dubiarum anxiiis atque sollicitis, responsa diuina impertiri, uellent. Vnde euocationes animarum, manium placamenta, pluresque superstitiosi cultus, traxere originem.

## XX.

**F**abulas pro ueritate, et nubem pro Iunone, amplexatos esse Gentiles, adeo mirum non est, siquidem de ortu animarum, pariter ac statu illarum post mortem hominis, parum aut nihil certi habuere. Quantum ad ortum attinet, *μετεμψύχωσις* illa Pythagorica dudum a sanioribus Gentilibus explosa fuit. Falsum quoque omnino est, animas ante exstare, quam corpus initium sumat, et prius immediate a DEO creari, quam corporibus indantur; cum totus homo, quod ad animam et corpus, a Parentibus propagetur. id quod de corpore nemo negauerit, de anima uero firmissime probatur ex peccato Originis, quod a Parentibus ad liberos transit. cum itaque anima sit *πρώτου δεκτικόν*, siue sedes, peccati Originis, necesse est, ipsam quoque animam a Parentibus communicari, cum fieri nequeat, ut accidens communicetur, non commu-

nica-

*naturam supra modum extulit, ne, Oracula ab homine formari posse adeo mirum sit. l. c. Cap. II. p. m. 8.*

*a) Nihil igitur est causae, inquit Ammonius, cur absurdum aut mirum uideri debeat, si animi, in animas incidentes, futuri imaginationem aliquam ingenerant, sicut et nos inuicem non omnia uoce, sed et literis, et tactu, et intuitu, significamus, multa praeterita, et futura, praemonstramus. PLUTARCH de Orac. Defect. p. 431.*

*b) Conf. HERODOTVM Lib. IV. Sect. CLXXII. p. m. 280. et CLASEN. de Orac. Gent. Lib. II. Cap. XIX.*



nicata simul substantia, cui intime inhaeret. Nec alias DEVS, animam puram rectamque creans, culpa iniustitiae absolui posset, quod puram et immaculatam animam, impuro corpori immitteret, atque adeo anima prius exstare nequit, quam corpus formari incipit.

## XXI.

Quod porro ad statum animae post mortem, siue solutionem eius a corpore attinet, lumen rationis immortalitatem quidem animae, c) praemia etiam et poenas post hanc uitam exspectandas, manifestat. De  $\pi\tilde{\gamma}$  uero, et statu animarum, simul ac e corporibus excesserint, nihil praeter coniecturas admodum lubricas et uacillantes, tradere nouit. Nobis, quibus perfectior reuelationis lux affulsit, licet esse adeo felicibus, ut, praeunte Scriptura S. certam nec dubie ueram sententiam, de statu hominis post hanc uitam, pronunciare queamus. Hic enim, cuius modo mentionem fecimus, sacer codex nos docet, animam hominis, simul ac domicilium suum, corpus, reliquerit, iudicio diuino sisti, ad reddendam uitae in terris actae rationem. Inde, si homo uera fide in Christum decessit, ad  $\pi\tilde{\gamma}$  gloriae et aeternae beatitudinis, perceptum perpetua caelorum gaudia, transferri. Sin in incredulitate finali permanerit, ad inferos detrudi, ibique infernales poenas, nunquam intermittentes, sed in omnem aeternitatem duraturas, persentiscere. Non itaque per aera circumuolant demortuorum animae, ut possint in alias animas incidere, iisque notitiam quandam, aut futurorum cognitionem, impertiri. Sed potius in  $\pi\tilde{\gamma}$ , a summo Numine illis adsignato, permanent.

D

Ne-

c) Quam solide immortalitas animae humanae, ex principiis solius rationis, demonstrari possit, copiose satis et methodo mathematica, argumentis inuicti roboris, probatum dedit IO. BAPTIST. PTOLEMEVS, Soc. Ies. in *Philosophia mentis et sensuum. Part. Vlt. de Theol. Naturali, Diss. VIII. p. 730. Edit. quae prodiit Romae MDCXCVI. Adde IO. COFFVNIVM de Triplici Statu Animae Rationalis, Disp. V, sqq. Patavii 1645.*



Neque enim ex inferorum claustris datur regressus in hunc mundum adspectabilem, si damnati uel maxime ergastulo suo liberari discupiant. Pariter, ut e contrario, beati coelites in mundum redire non cupiunt. In coelis uero destituuntur rerum mundanarum notitia, nec ullam gerunt mortalium curam, ex Esaiæ LXIII, 16. Vnde pronum est colligere, animis defunctorum non posse istiusmodi operationes, quales sunt Oracula reddere, aut iisdem praesidere, adsignari.

## XXII.

**F**ac autem, quod quidem minime concedendum est, fac nihilo minus, animas, a corporibus seiunctas, adhuc in mundo aliquantisper commorari, antequam ad π̄ beatitudinis uel damnationis aeternae transferantur, grauiſſimae tamen sic quoque adessent rationes, quae dubitare nos iuberent, num quoque ulla gauisurae sint eorum, quae in orbe geruntur, notitia *d)* siquidem anima, ut Spiritus incompletus, quicquid de rebus naturalibus cognoscit, non nisi per organa corporis percipit, secundum illud, nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. Illorum autem sensuum ac organorum usu tum destituitur anima, neque adeo ulteriorem harum rerum cognitionem acquirere poterit, nedum cum aliis communicare possit.

## XXIII.

**F**orsitan uero mortales, quam diu uiui anima fruuntur, pro causa principali et totali Oraculorum habendi, horumque uel ingenio et sagacitati, uel fraudibus ac fallaciis, omnia omnino Oracula tribuenda erunt? Aiens sententia multis, nec mediocris ingenii uiris, arrisit. Non tamen omnes, qui eidem

sub-

*d)* Consentientem hic habemus B. D. FECHTIVM, qui in *Sylloge Controuers. Disp. XLVIII. Num. III.* hanc posuit thesio. *Non amittunt animae demortuorum earum rerum notitiam, quam in hac uita sibi comparauerant, Luc. XVI: 28. non tamen probabile est, nouam eas rerum, quae in hac orbe geruntur, scientiam acquirere, Ies. LXIII. 16.*



subscribere, in eo conueniunt, unde haec homini facultas. Platonis sententiam, animas modo reminisci eorum, quae, antequam corpori consociarentur, in consortione DEORVM uiuentes, uiderint, supra iam recitauimus, eamque in falsa hypothese insistere ostendimus. Aliis placuit affirmare, facultatem uaticinandi, et Oracula proferendi, hominibus naturalem esse. quam tamen sententiam ipsi quoque Gentilium Philosophi iam oppugnatum iuere, e) eo, quod uaticinatio frequentior esse, et in plures cadere deberet, si animae istiusmodi facultatem natura suppeditaret, cuius tamen contrarium uaticinantium raritas satis probaret.

## XXIV.

**E**x instituto hanc sententiam sub examen uocauit CEL. D. BVDDEVS f) ostendendo, quae non existant, siue in se, siue in certis quibusdam signis, nullo modo intelligi aut cognosci posse, mentisque uim superare, quo pacto intelligi queat res, cuius plane nullum indicium existet, quo intellectui innotescat. Omnem quippe cognitionem per ideas fieri, aut saltem ideas supponere. Ideas uero rerum, extra nos positarum, (quales sint, de quibus Oracula et Vates interrogari, futuraque praedicere, solebant) res extra nos supponere. Quae autem nondum sunt, nec in se, nec in signis suis, nullo pacto ut certa supponi, aut menti per ideas obuersari, posse. g) Quod si quis ad coniecturas se recipiat, dicendo, fingi posse circum-

D 2

stan-

e) IAMBlichVS enim refellit PORPHYRIVM, quod praesagium passionem animae, in cogitatrice facultate, appellasset, *Nam anima humana, pergit, corpore caduco obumbrata, nullam habet uim, ad opus diuinum praestandum. Deinde omnis anima uaticinaretur, si id ei ex natura propria conueniret. Somnia uero et istiusmodi praesagia leuis coniecturae potius, quam praesagii aut uaticinii, nomen mereri. Vener. de Orac. et Diuin. Cap. VI. p. 33.*

f) In Dissertatione *An naturali homines polleant uaticinandi facultate, hab. Halis cl. loc. XCVIII.*

g) Conf. CEL. BVDDEVM I, c. §. XXII. p. m. 28.



stantias, huic commode respondebitur, fictas circumstantias sua sponte uictas labascere, et plerumque falsas deprehendi. unde fieri nequeat, quin ex falsis circumstantiis falsae quoque oriantur conclusiones, et tali ratione ne centesimo quidem Oraculo euentus rei responderit, quod tamen in quibusdam locis aliter factum, constans Scriptorum consensus testatur.

## XXV.

**F**rustra quoque, ab aduersae sententiae Patronis, ad exemplum SOCRATIS prouocabitur, cuius Genium CARPENTARIUS, alique, non indocti uiri, non diuersum quid a Socrate, aut extra illum existens, censent, sed, Socratis Genium ipsam eius animam fuisse, existimant. *b)* At, de hoc ipso Socratis Genio mira referuntur, nec Socratem solum, ut ab hoc uel illo proposito desisteret, admonitum fuisse, sed et uaria occulta praedixisse, accipimus, quorum ueritatem exitus comprobarit. *i)* Falli etenim Carpentarium, et quotquot hac in re cum ipso faciunt, ipsa res, et accuratior illorum, quae Socratis Genius praedixit, consideratio, nos docet. Haec enim, quae praedixit ille, ita saepius comparata fuere, ut, istiusmodi praescientiam limites ingenii humani, prudentiae et sagacitatis, longe transcendisse, iudicari possit. Vnde hoc quoque argumentum strenue urget, et contrariam sententiam, Socratis Genium fuisse Spiritum extra illum existentem, longe praefereendam, ostendit D. GOTFR. OLEARIVS. *k)*

## XXVI.

*b)* Vide STANTEII *Histor. Philos. P. III. Cap. VI. p. 158.*

*i)* Conf. STANLEIUM. *l. c. p. 128.*

*k)* *Diss. de Genio Socratis hab Lips. cl<sup>o</sup> Ioc II. quae inserta Stanleii Hist. Philos. P. III. Cap. VI. p. 130. seqq. Cum D. OLEARIVS, quid de Genio Socratis certum sit. aut incertum, sub finem Diss. summatim submoneat, uerba eius huc apposuisse, non erit alienum. ita uero ille. Quae certa in hoc negotio uidentur, paucis edisseram. Certum itaque puto, Socratem ipsum huius Genii mentionem fecisse, eumque uitae suae arbitrum agnouisse. hoc enim si non Platoni, Xenophonti*



## XXVI.

**I**lli uero, qui pronunciant, hominem tantum singulari quadam dispositione gaudere, ui cuius reuelationem futurorum, a DEO, Daemone, uel Angelo factam, recipiat, 1) huc non pertinent

D 3

pbonti certe crederem, aliisque Socraticis, imo et illis, qui ex Socratis Schola minime prodire. Certum etiam est, Discipulorum eius plerisque hoc ita intellexisse, ut, Praesidem uitae et actionum προποδηγόν ex sublimioribus Spiritibus aliquem ei praesto esse, existimarent. Certum porro est, ipsos quoque hostes Socratis non aliter id accepisse, prouocat enim Plato audacter ad γραφήν, b. e. ad accusationem Meliti, in qua eum hocce Daemonium ἐπικοδομῆν ait, non prouocaturus ad monumentum adeo recens, si aliter res se habuisset. Nec hoc in dubium potest uocari, uix aliter accipi Socratis de Daemone suo dicta potuisse, cum summam in dicendo ἀφ᾽ ἑλπίαν, et simplicitatem prae se tulerit semper, hoc uero certe esset τερατολογεῖν, si uerbis aequiuocis, et magnum quid sonantibus, sibi auctoritatem conciliare, audientes in admirationem rapere atque stuporem, conatus fuisset. Imo et fraudibus auctoritatem sibi Socratem quaerere uoluisse, ab eius ingenio, prout omnis illud descripsit antiquitas, alienissimum. illud quoque extra omne dubium est positum, multarum Socratem rerum praedixisse euentum, in quibus exitus eum non fefellit, eas uero maximam partem mere fuisse, ut in Scholis loquuntur, contingentes, nec mentis proinde solertia eas assequi illum potuisse. Atqui hoc solum argumentum doctissimum Carpentarium, ut suspendere mallet iudicium adduxit. Non dubito igitur, eo cum reliquis omnibus, certe maxime euidentibus, iuncto, ad summum probabilitatis gradum prouehi eam, quae Socrati uitae Magistrum adhaesisse Genium existimat, sententiam. quae si cadat, magnorum inter Veteres Virorum auctoritates, Socratis uirtus et integritas, ipsa denique, pene dixerim, omnis historiae fides ruinam eius subsequatur, necesse est.

- 1) Placuit haec sententia MOSI MAIMONIDI, in More Neuchim Part. II. Cap. XXXII. aliisque Ebraeis, secundum CEL. BVDDEVM l. c. §. VIII. p. II. BENED. SPINOZAE in Tract. Histor. Polit. de Libertate Philos. C. II. p. m. 18. seq. PETRO PETITO. Medic. et Philos. Paris. qui eandem mire exornare studuit in Tract. de Sibylla L. I. Cap. VIII. p. 30. seq. Horum uero, aliorumque, argumenta discussit CEL. BVDDEVS l. c. §. V. p. 8. seq.



tinent, quia hoc modo non ipse homo, sed DEVS, Angelus, uel Daemon, causa efficiens principalis reuelationum dicendus, nec ad id singularis quaedam hominis dispositio requiritur. nisi enim homo bruto uel stipiti simillimus fuerit, uerba, res, ideas, a DEO uel Spiritu traditas, sine graui negotio poterit percipere, et cum aliis iterum communicare.

## XXVII

Contendunt denique alii, nihil eximii aut insoliti Oraculis subesse, siquidem omnia ex meris coniecturis et fraudibus, a sagacitate uasrorum hominum profectis, constiterint, quam sententiam data opera adstruere, et hominibus persuadere, an- nisus est ANT. uan DALEN. *m*) Cui adstipulatur SERV. GALLAEVS, *loci n*) et nuper adhuc BASNAGE *o*) aliique. Iste quidem, magnum causae suae praesidium sibi inuenisse uidetur, quod ARISTOTELES, aliique Philosophi, iamdudum hanc uiam in- gressi,

*m*) Medic. Harlem in Libro de Oraculis Etbnicorum, ubi diff. I. p. 57. 58. Pro- cedente hoc discursu, scribit, ostendam, mera hominum constitisse fraude, non Serapidis, seu sub ipsius nomine Diaboli, hoc et alia praetensi Serapidis, aliorumque, responsa, imo et plurima ne quidem data fuisse unquam, sed a uasris impostoribus conficta. p. 74. Defectum Oraculorum, si- lentium, dicit, personatorum horum Oraculorum p. 75. praetensum il- lum Apollinem, et sic porro. Eandem mentem retinuit, cum con- scriberet Diff. de Orig. et Progr. Idolol. et Superstit. ubi C. IV. p. m. 64. Superstitiosam uocat doctrinam, quae Daemoniis ceu Diaboliis tot Oracula, miracula, et similia, attribuit, et Cap. X. p. 652. I nunc, scri- bit: et hinc confice mi lector argumenta, pro Diabolo Delphis, per Py- zham, Oracula fundente.

*n*) Past. Eccles. Gallo-Belgicae Harlem: Diff. de Sibyllis Cap. XIII. p. 244. putamus, inquit, etiam nos cum Doctiss. D. uan Dalen omnia illa non a Diaboliis, sed ab impostoribus Sacerdotibus, esse profecta, ut sub ficto Deorum nomine, homines fallerent. quod demonstratum dicit in uan Dalen scripto de Oraculis.

*o*) T. II. des Antiquites Iudaiques.



gressi, p) nec haec solum Diaboli operationes, sed ipsam quoque Daemonum existentiam, negare sint ausi. Sed parum aut nihil profuerit Dalenio, quod Aristoteles, aut alii Sceptici, et derisores omnis religionis, ita de Oraculis fenserint, et existentiam simul Daemoniorum in dubium reuocauerint. q) Aristoteli enim, et illis, qui cum eo hac in parte faciunt, opponimus alios, non minus probatae, nisi forte maioris fidei, Philosophos, PLATONEM, r) SOCRATEM s) PLVTARCHVM, t) CICERONEM, u) aliosque, x) quorum nomina angustia chartae uix capiet. Horum plurimi diuinitatem Oraculorum agnouere, et, facta diligenti inquisitione, Delphicum Oraculum ueracissimum deprehenderunt. y) Alii pariter probatae fidei

Scri-

p) *Ne addam*, scribit uan Dalen, *Aristotelem, pluresque alios non minimae dignationis Philosophos, nil tale, quod iam supra nominati (HOMERVS, HESIODVS, ORPHEVS, EMPEDOCLES, PYTHAGORAS, PLATO) fenserant, sensisse, imo et omnes Daemones, iisque patrocinium debentia Oracula ac uaticinia, pernegasse, quod partim illa humori atrabilario, partim sacerdotum fraudibus, attribuerent. de Orig. et Progr. Idol. et Superst. C. III. p. m. 51. 52.*

q) Aristotelem Daemones non credidisse, patet ex testimonio Dalenii, iam iam allato. idem de ARISTOTELE affirmat GERH. IO. VOS-  
SIVS de Orig. et Progr. Idol. L. I. Cap. VI. p. 43. ARISTOTELES, scribens, *Daemones non credidit, nisi cum, ut diximus, ex aliena loquitur sententia.* Idem de eodem sentit B. D. FALCKE in *Daemonolog. Diss. II. S. 21. p. 41. seq.*

r) PLATONEM existentiam Daemonum credidisse, apparet ex eius *Cratylo*

s) De SOCRATE id constat ex iis, quae de Genio suo dixit.

t) PLVTARCH. in *Def. Oracul. passim.*

u) Conf. CIC. *Libr. de Diuinatione et Quaest. Tuscul. L. I.*

x) Vid. STANLEI *Histor. Philos.* item B. D. FALCKEN *Daemonolog.*

y) Grauitur PLVTARCHVS. *Pythiae sermo absque ullo flexu, circuiu, ambiguitate et fraude, recta ad ueritatem proficiscens: Quanquam de sua fide causae dictionem non possit detrectare, tamen falsi a nemine*

in



scriptores Oraculo AMPHIARAI, z) MOPSI, a) et LATONAE b) in Aegypto, ueracitatis laudem unanimi consensu tribuunt. AMMONONEVM c) quoque, et alia, ut plurimum uera pronunciaſſe Oracula, teſtantur. Certe hoc ueracitatis elogium conſequi nulla ratione potuiſſent, ſi nudas coniecturas, caſu impletas, credulis uendidiſſent.

## XXVIII.

Cum uero non auctoritatibus ſed rationibus, pugnandum ſit, Cet argumenta, a teſtimoniis deſumta, parum ponderis habeant, niſi idoneis rationibus ſuffulciantur, allaturi ſumus argumenta, ex ipſius rei natura et indole petita, et uno alteroque exemplo demonſtratum dabimus, de iſtiusmodi rebus nonnunquam interrogata fuiſſe Oracula, quarum ueritatem nulla ſapientia humana inueſtigare potuerit, et nihilo ſecius tale datum fuiſſe reſponſum, ad cuius perceptionem interrogantes meri-

*in hunc uſque diem conuicta eſt. De Pythiae Orac. Tom. II. Opp. p. m. 408. CICERO, Nunquam illud Oraculum Delphis tam celebre et tam clarum fuiſſet, neque tantis donis refertum omnium populorum atque Regum, niſi omnis aetas Oraculorum illorum ueritatem eſſet experta. Et haud multo poſt, Negari non poteſt, niſi omnem hiftoriam peruerterimus, multis ſeculis uerax fuiſſe illud Oraculum. Lib. I. de Diuin. STRABO, Delphico, inquit, Fano maiorem honoris tanti partem Oraculum comparauit, omnium minime fallax exiſtimatum. Geogr. L. IX. p. 642. Item. Abſurdum eſt, ſi ueritatem aliis in rebus ſectamur, de Oraculo omnium ueraciſſimo dicturi, incredibilibus et falſis utamur narrationibus. Ibid. p. 646. Vid. plura apud CLASEN. de Orac. Gentil. Lib. II. Cap. II.*

z) AMPHIARAVM Oraculum ueraciſſimum appellat HERODOTVS Lib. I. Sect. XLIX. p. m. 19.

a) MOPSI Oracula habebantur pro ueris, certis, ac minime fallacibus CLASEN. de Orac. Gentil. L. II. C. XIII. §. VIII. p. 423.

b) Simili ueracitatis elogio LATONAE Orac. ornat HERODOT. Lib. II. Sect. C. LII. p. 149.

c) IOVIS AMMONIS Oracula collegit atque expendit VECCIVS de Oraculo



merito stupuerunt, et scientiam, omni humana cognitione maiorem, non potuerunt non eius auctoribus uindicare.

## XXIX.

**H**uiusmodi Oraculum memoriae prodidit HERODOTVS, <sup>d)</sup> cuius integra uerba, aliquanto licet ampliora, hic afferre non piget. Vtemur autem interpretatione latina, ne contextu simul Graeco prolato, nimium spatii occupemus. Auctore igitur Herodoto, CROESVS, Lydorum Rex, cum potentiam Persarum, prius quam conualesceret, frangere pararet, sub hanc statim cogitationem, tentare statuit Vaticinia, quaeque apud Graecos, quaeque in Africa essent, aliis alio dimisit, quibusdam Delphos, quibusdam Dodonam. Nonnulli etiam ad Amphiaraum ac Trophonium, et alii quidam ierunt ad Branchidas orae Milesiae. Atque haec sunt Graeca, ad quae consulenda Croesus misit, Oracula. In Africam uero ad Ammonem alios, responsa petituros, dimisit. Omnes autem misit exploratum Oracula, quid sentirent, ut, si consentanea uero deprehenderentur ea, secundo per suos tentaret, numquid in Persas expeditionem moliretur. Mittens itaque, ad Oracula tentanda, Lydos, haec dedit eis mandata, ut, qua die proficiscerentur ex Sardinibus, ab ea reliquum tempus supputantes, quotidie Oraculis uterentur, et, quod singula Oracula respondissent, id omne conscriptum ad se referrent. Quid porro coetera responderint Oracula, a nemine commemoratur. Apud Delphos autem, simulatque ingressi sunt Lydi domum, consulturi DEVM, et seiscitaturi, quod sibi esset iniunctum, Pythia hexametro tenore haec inquit:

E

Aequo-

culo Arietino, ubi inter alia p. 46. Iupiter Ammonius, inquit, apud supersticiosos olim in suis Oraculis putabatur certus, et p. 49. Oraculum hoc in suis responsis certissimum ab illis deliris gentilibus habitum. Ad stipulatur eidem GERH. IOH. VOSSIVS, de Orig. et Progress. Idololat. L. II. C. XI. p. 363. Oracula, scribens, Hammonia erant certissima.

<sup>d)</sup> HERODOTVS L. I. Sect. XLVII. p. m. 18.



Aequoris est spatium et numerus mihi notus arenae,  
 Mutum percipio, fantis nihil audio uocem,  
 Venit ad hos sensus nidor testudinis acris,  
 Quae simul agnina coquitur cum carne lebete,  
 Aere infra strato, et stratum cui desuper est aes.

*His Oraculis, quae Pythia reddidit, conscriptis, Lydi digressi, Sardes rediere, cumque alii, quos circummiserat Croesus, affuissent, tunc singula resignans, quod scriptum esset, inspexit, quorum quidem nullum probauit. Vbi autem illud Delphicum audiuit, protinus ueneratus est et excepit, existimans, solum esse Delphicum illud Oraculum, quippe quod comperisset quod ipse fecisset. Nam, posteaquam ad petenda Oracula nuntios dimiserat, statuto illo die obseruato, tale quid est machinatus, commentando ea, quae ad deprehendendum et explicandum perdifficilia forent. Testudinem pariter et agnum concisos, in abeno coxit, operculo abeneo imposito. Atque ita e Delphis Croeso responsum est. Hactenus HERODOTVS.*

## XXX.

**V**bi probe notandum, Herodotum non in eo esse, ut Oraculorum auctoritatem stabiliat, aut Diuinitatem illorum adstruat, sed potius ostendere, Croesum nihilo minus misere ab Oraculo deceptum, licet omnem adhibuerit industriam, et, ne forte dolo circumueniretur, diuinitatem Oraculorum prius explorasset, utrum abdita et remota certo scirent et indicare ualere. Rectissime enim concludebat Croesus, si Oracula ea nossent, quae in locis maxime diuersis agerentur, oportere iisdem sapientiam, humana maiorem, praesidere. mortalibus enim notitiam certam eorum, quae in locis remotioribus geruntur, et quidem eo temporis momento, quo peraguntur, minime competere. huiusmodi notitiam cadere tantum in DEOS, quippe qui plurimis in locis simul praesentes essent. Si uero Dii, aut Numen aliquod diuinum Oracula moderetur, posse illud de futuris homines edocere, sibi que exitum belli, quod



quod moliebatur, praedicere. Hac igitur de re certior fieri cupiens, argute satis tentabat Oracula. prius enim legatos dimittebat, illisque certum tempus, quo Oracula interrogare deberent, praefiniebat. legatis dimissis, diem constitutum exacte obseruabat, inaudita, et quae coniecturam excederent, suscipiebat, et quo factum suum eo magis absconderet, ahenum, operculo superimposito, obtegebat, firmissime persuasus, si DEVS quidam Pythiae suggereret responsa, posse eandem indicare, quae ipse domi ageret, si uel spissis in tenebris uersaretur, triplex operculum aheno superimponeret, et, qua fieri posset, diligentia actiones suas occultare studeret. Nec fellit eum sua opinio. Nam moderator Oraculi Delphici protinus facta Croesi cognouerat, idque, dato responso, legatis, simulac templum ingrediebantur, annuntiabat. Quicumque, a praeiudicatis opinionibus uacuus, hoc Oraculum nauiter perpenderit, fateri cogetur, responsum adeo exactum ad quaestionem: quid longe absens homo agat? a meris hominibus, etiam prudentissimis, proficisci nullo modo potuisse, praesertim cum Croesus non quotidianis negotiis occupatus fuerit, sed rem prorsus inusitatam suscepit.

## XXXI.

**I**ungamus huic historiae Oraculum, ex auctore non minus probato desumptum, puta ex PLVTARCHO, e) qui Demetrium quendam introducit, explorationem Oraculi, quae ipso praesente instituta erat, sequentem in modum referentem. *Habeo autem, inquit Demetrius, rem apprime admirabilem, quae, me praesente, apud Oraculum Mopsi euenit, quam uobis referam. Praefectus Ciliciae, homo dubiae de Diis sententiae (quod ei accidisse puto propter imbecillitatem incredulitatis de iis conceptae) ceteroqui contumeliosus et prauus, cum circa se haberet Epicureos, qui, freti pulcra, (si Diis placet) ista sua Physiologia, religioni illudunt, motus eorum uocibus, libertum ad Oraculum Mopsi misit, tanquam exploratorem in castra hostium, cum tabella obsignata, in qua, nemi-*

E 2

ne

e) De Defectu Oraculorum Tom. II. Opp. p. m. 434



ne conscio, quaestionem scripserat. Libertus, cum pro more noctem in delubro exegisset, ac obdormiuisset, facta die, tale narrauit somnium, uisum fuisse sibi adstare Virum pulcrum, qui, una hac uoce: NIGRVM, edita, statim discesserit. Absurdum nobis hoc uidebatur, multumque haesitationis iniiciebat. At Praefectus, consternatus flexisque genibus ueneratus Mopsum, aperuit tabulam, ostenditque nobis inscriptam quaestionem: ALBUMNE TIBI, AN VERO NIGRVM, IMMOLABO TAVRVM? Itaque et Epicureis pudor est iniectus, et Praefectus, sacrificio peracto isto, deinceps Mopsum coluit. Haec PLVTARCHVS.

## XXXII.

Circumstantias huius commemorationis paulo accuratius pensitantibus, uariae sese conspicienda offerunt, ex quibus prona consecutione colligi licet, tentationem hanc Oraculi non superficialiter aut negligenter susceptam fuisse, sed omni potius industria ab interrogantibus prouisum, ne fraude Antistitum circumuenirentur. Praefectus etenim ipse describitur, uti homo dubiae de Diis sententiae, cuius focii tum erant Epicurei, irrisores et Empaectae religionis, causisque naturalibus plus nimio tribuentes. Nullus praeter Praefectum, quid tabellae inscriptum esset, norat. quaestio non inscripta erat papyro, sed tabulis, procul dubio cera obductis, quarum tum usus erat. Praefectum tabulas oscitanter obsignasse, praesumi nequit, quin contrarium potius dicendum, illum et socios sedulo cauuisse, ne tabulae, sigillo integro, resignari possent, praesertim cum in eo uersarentur, ut, incongruo Oraculi responso allato, risu et cachinnis illud exciperent, et Moderatorem Oraculorum ludibrio exponerent. Interim omnes hae praecautiones impedire non potuerunt, quo minus Moderatori Oraculorum, et sic eius quoque antistitibus, quid tabulis inscriptum, pateret. id quod homini nouisse non datum, nisi ipse scripserit, uel scripturam legerit, uel ab alio, quid scriptum scribendumue, acceperit. Nec iuuat DALENIVM, et eius similes, fraudem sacerdotum ac resignationem tabularum hic suspicari, cum istiusmodi fraus non praesumi, sed probari, debeat.



## XXXIII.

**I**psa quoque immissio somnii prohibet, quo minus in castra Dalenii, sociorumque eius, transeamus. Num enim fieri possit, ut homo homini somnium immittat, merito dubitatur. Sermones quidem et colloquia occasionem somniorum aliquando praebere, concedimus, sed efficere, ut quis, hac praecise nocte, haec praecise uerba, nec plura nec pauciora, has determinate circumstantias, id uero somnio percipiat, uel modum mortis alterius praeuideat *f*) humanam excedit potentiam. Quin sermones et colloquia, in adducto exemplo, praesumere uix possumus, siquidem periculosum erat, cum seruo exploratore, de cuius fide et integritate nihil certi constabat, istiusmodi colloquia instituere, ex quibus Dominus fraudem suscipari potuisset. Quod si quis eo se recipere uelit, ut dicat, Seruum, et omnes eiusmodi consultores, non uera habuisse somnia, sed apparitionem antistitis cuiusdam, uerba facientis, pro somnio reputasse, ille profecto supinae ignorantiae homines accusat, et consultores, ad minima quoque attentos, summae oscitantiae reos facit. Nos certe, affirmare ueremur, quod omnes illi, qui hoc modo in Templis AMPHIARAI, SERAPIDIS, MOPSI, aliisque in locis, Oracula acceperunt, apparitiones, oculis perceptas, a somniis discernere non potuerint, sed uigilantes somniarint.

## XXXIV.

**V**idimus exempla, ubi Oracula, de rebus praesentibus interrogata, istiusmodi dedere responsa, ex quibus satis apparet, praefuisse illis tale suppositum intelligens, quod meros homines calliditate superarit. Non enim est humanae opis, po-  
litis

---

*f*) Id quod seruo Mardonii contigit, qui in somnio praeuidit, Herum suum, coniecto in ipsius caput lapide, trucidandum, uti infra §. XXXVI. audiemus.



litis illis circumstantiis, responsum adeo exactum et conueniens subministrare. Addamus his unum adhuc alterumque, ubi Oraculum, de futuris interrogatum, aequae certe fere ratione et ἀκριβείᾳ respondit. Desumemus illa ex iisdem, quos modo adduximus, autoribus, Plutarcho puta Herodotoque. Quorum ille g) refert, Hannibalem, ciuibus suis infensum, de fato ultimo et rerum futurarum successu Oraculum consuluisse, ab eoque hoc responsi accepisse: λιβυσσα κρύψει βῶλος τῶν, Ἀντιβαλ, δέμας, *Libyssa teget terra tuum, o Hannibal, corpus.* Quod Hannibal quidem ita interpretatus est, fore, ut, ciuibus reconciliatus, ultimam uitae partem in patria transigi liceret, quoniam corpus exanime ibidem, Oraculi dicto, sepeliendum. Sed alio pacto uoci illius Oraculi sua constitit ueritas. Non enim in Africa, sed in Asia, in uico quodam Bithyniae Libyssa cognominato, hausto ueneno, mortem sibi ipsi accelera recontactus est, ibidemque corpus eius lapidibus obrutum. Vere itaque praedixit Oraculi antistes, Hannibalem terra, Libyssae, obruendum, licet amphibolia loci h) falleret. Pertinent huc responsa Oraculorum, de loco mortis, Cambysi Persarum, et Alexandro Epirotarum, Regibus i) data, ut et plura alia, quae hinc inde occurrunt.

XXXV.

g) PLUTARCH. in *Vita Flamini* Tom. 1. Opp. p. m. 380.

h) Proprium hoc quasi est Diaboli, ut Amphibolia uocabulorum et sermonis consulentes decipiat, id quod etiam SYLVESTRO II. Pontifici Romano, antea Gereberto cognominato, contigisse ferunt, qui cum artibus magicis addictus, sub certo siderum adpectu statucae caput fudisset, quod ad interrogata uel affirmatiue uel negatiue responderet, inter alia interrogata responsum accepit, *se non prius moriturum, quam in Hierusalem missam cecinisset.* quod ubi post quadriennium, non in urbe primaria Palaestinae, sed Romae in sacello quodam, ita cognominato fecisset, captum se, et fraude Diaboli delusum cognouit. uid. SELDENVM de *Diis Syris in Syntag. I. C. 41. p. 109.* item PLATINAM in *Vitis Roman. Pontif. p. 143.*

i) Vid. supra §. VIII. p. 11, seq.



## XXXV.

**N**on deterioris est conditionis Oraculum Psammiticho, Aegyptiorum Regi, redditum, cuius historiam consignauit HERODOTVS, ex quo *k)* illud repetemus. Fuere antiquitus XII. in Aegypto Reges, quos inter Regio ista diuisa fuit. His Oraculum redditum, *eum solum Aegypti Regem futurum, qui aerea in phiala libasset.* Cum itaque, statuto die, omnes libaturi essent, pontifex, numero aberrans, undecim tantum phialas, aureas porrexit. Tum Psammitichus, qui postremus stabat, aerea galea detracta, cum phialam non haberet, libauit. Animaduertentes id reliqui Reges, et Oraculi effatum simul in memoriam sibi reuocantes, ira odioque aduersus Psammitichum accensi, de tollendo hoc ipso cogitarunt. Comperientes uero, illum non de industria, sed necessitate compulsus, id fecisse, uitae quidem usuram ei reliquere, maxima tamen potentiae suae parte exutum, in Palustria relegarunt, ne, illinc egressus, reliquae Aegypto se immisceret. Remotus in paludes, Psammitichus interrogauit Oraculum: num ultio acceptae iniuriae illi speranda, a quo redditum est responsum, *ὡς τίσις ἕξει ἀπὸ θαλάσσης χαλκέων ἀνδρῶν ἐπιφανέντων, affuturam ei ultionem, e mari uiris aeneis existentibus.* Licet igitur credere nollet, uiros aeneos fore auxilarios, contigit tamen, aliquo tempore interiecto, Iones quosdam et Cares, praedandi gratia nauigantes, necessitate compulsos, appellere ad Aegyptum. Quod ubi quidam animaduertit, qui numquam uiderat uiros aere armatos, nuntiat Psammiticho, uiros aeneos e mari egressos, campestris populari. Hic, memor Oraculi, cum Ionibus et Caribus amicitiam iungit, et, opera illorum adiutus, Reges, a quibus iniuria affectus erat, bello adoritur, ac, prospera fortuna usus, cunctos subegit, omni-que potitus est Aegypto.

F

XXXVI.

*k) Herodotus Lib. II. Sect. CLI. p. m. 149.*



## XXXVI.

**D**enique nec praetermittendum uidetur Oraculum illud Amphiarum, Mardonio de mortis suae genere redditum, cuius seruus, in templo super pellem immolati arietis pro more cubans, per somnium uidit, se manibus pulsari, coniectoque in caput suum ingenti saxo, humi prosterni. quod somnium responsi loco, de exitu uitae Mardonii, fuit, illumque accurate satis praefigurauit, haud multo post, quando Lacedaemonius quidam, nomine Arimnestus, Mardonium, in conflictu, saxi ictu trucidauit, referente PLUTARCHO. l)

## XXXVII.

**V**trum contingentes circumstantias alienae mortis adeo determinate praefigurare, uaticinia, de ultione per uiros plane ignotos obtinenda, fundere, ualida Piratorum, qui modo huc modo illuc praedandi causa feruntur, auxilia polliceri, et, quod illa contra tot Reges suffectura sint, praeuidere: utrum hoc, inquam, mortalium opus, et in uiribus eorum naturaliter positum sit, haud immerito dubitamus. Nostro sane, si quid huius est, iudicio, oportuit illum, qui haec confidenter asseuerare ausus est, peregrinorum populorum mentem, consilia, animos, uiresque, probe perspexisse, quin etiam ualuisse aliquid conferre, ut Iones et Cares, tempestate maris adacti, ad Aegyptum appellerent, desiderio Psammetichi faciles aures praeberent, et praesentissimum periculum subire non detrectarent.

## XXXVIII.

**P**lura istiusmodi Oraculorum responsa quin ex probatis scriptoribus in medium afferri possint, nemini dubium uidebitur. Adducta uero sufficere poterunt, ad euincendum, responsa Oraculorum multoties ita comparata fuisse, ut scientiam, pru-

l) De defectu Oracul. T. II. Opp. p. m. 412. Mardonius, saxo ictus, cecidit, sicut Lydus se percussum in somnis putauerat. Conf. eundem in Vita Aristid. p. m. 330.



prudentiam sagacitatemque humanam longe superarint. *m*) Ecquis enim est, qui confirmare aufit, somnia uatidica imitti a meris hominibus, mortales absentes exacte definire posse, an, et quando filius mutus loquendi facultatem consecuturus sit, quo tempore, et quo in loco, homini ultima fata immineant, quo praecise modo uiolento, hic, uel ille uitam sit terminaturus; quid in loco maxime disiuncto degens iam agat, praesertim si hic singulare quid moliatur; quid tabellis probe obsignatis inscriptum; ubinam terrarum exul sit sepe- liendus, et eiusmodi plura.

## XXXIX.

Certe si quis hoc sibi sumat, illum Oedipo multo sagaciorum esse oportet, id quod de Pythia et antistitibus Oraculorum dici nequit. Siquidem testibus Historicis ad os antri Delphici accedere, et alteri futura fata praedicere, aut ad interrogata respondere, sub initio cuiuslibet integrum fuit, donec Virgo huic muneri praeficeretur, cuius in locum tandem rudis anus, quinquaginta non minor annis, subuecta, quae, cum ex communi hominum grege desumeretur, *n*) reliquos mortales sapientia aut sagacitate adeo superasse, credibile non est. Eam uero ab Hosiis siue antistitibus solum instructam, et ab illis tantum, quid respondendum, edoctam fuisse, quo minus credamus, id obstat, quod exteris ac peregrinis, responsa interdum data, sermone illis uernaculo, Antistitibus autem omni-

F 2

omni-

*m*) perspexit hoc suo iam tempore IAMBlichvs *Omnia*, dicens, quae in ipso diuinationis opere fiunt, superant naturae humanitatisque modum, unde non a naturae humanitatisque uiribus fieri possunt, quia deterius praestantiora efficere non ualet VENERIVS de *Oracul. et Diu. Antiq. Cap. VI. p. m. 31.*

*n*) Rudes enim et ignotae uirgines, de quarum adeo indole non constabat, euocabantur e tuguriis, agricolarum, ut isto munere (scilicet Pythiae Delph.) fungerentur, scribit Cel. Buddeus in *Diss. An homin. naturali polleant uaticin. facultate. §. XX. p. 24.*



omnibus prorsus ignoto, o) tum, quod Pythia saepius in tripode furore correpta, ubi inde rediit, deliquium animi passa, quin et mente capta, non multo post animam efflauit, p) praesertim si contra uoluntatem Praesidis tripodem conscendisset. Neque hoc semel tantum aut perraro contigit, sed si PEVCERO fides habenda, subinde euenit, ut Vates semel furore perciti (Oracula enim et Vaticinia fere omnia a furibundis proferebantur, iuxta ea quae supra §. XV. allata) perfectum rationis usum amitterent, nec unquam postea recuperarent, Diabolo uim corpori inferente, et uiolenta contorsione atque coactione, partes intelligentiae seruientes ac rationi, prorsus deprauante. q) Id quod certe indicio est, Vates fortiore quodam et uehementiore Spiritu, quam alterius hominis afflatu agitados esse.

## XL.

Quandoquidem igitur, uapores et exhalationes terrae uel aquae, pro causis Oraculorum uenditare, absolum est, et ridi-

- o) Cuiusmodi exemplum exstat apud PLVTARCH. ubi Vates apud Lebadiam Aeolica lingua, missis a barbaro (Mardonio) respondit, ita ut Hosiorum (sic Vatum socios appellant) nemo intelligeret. *de defectu Oracul. p. 412.* idem de Pythia Delph. ex PAVSANIAE L. IX. p. 257. affirmat CLASEN. l. c. L. I. C. X. p. 66.
- p) Exemplum notatu dignum, exhibet PLVTARCHVS, sub finem Libri de Defectu Oraculor. T. II. Opp. p. 438. *Quid ergo Pythiadi usque uenit? Descendit in opertum Oraculi, inuita ut aiunt, et animo minime alacri (uictima enim toto corpore non contremuerat, id quod criterium erat, Oraculum non esse petendum.) Statim autem in primis responsionibus apparuit, ex asperitate uocis, eam, instar nauis uento impulsae, non sustinere uim Spiritus, adeoque repletam esse Spiritu maligno et muto, tandem prorsus exagitata, cum terribili clamore ad exitum contendit, ibique sese proiecit, ita, ut non tantum consultores fugerint, sed et Nicander Vates, et quotquot Hosiorum aderant. (i. e. sanctorum, sic uatum sodales appellantur) paulo tamen post ingressi, subulerunt eam mente captam, ac superuixit paucos dies.*
- q) Verba ultima sunt PEVCERI de Praecipuis Diuinat. Gener. Cap. de Oraculis f. m. 88.



ridiculum, cum eadem non nisi a supposito quodam ratione praedito profecta esse potuerint, Ex horum autem Classe, DEO, ut Spiritui increato, minime omnium tribuenda, ob rationes supra §. XV. allatas. Ex Spiritibus creatis uero, Angeli boni pariter excipiendi, iuxta §. XVIII. Nec animae humanae separatim a corpore existenti istiusmodi effectus competere possit, secundum ea quae in §. XX. seq. adducta. Nec denique nudorum hominum scientia, prudentia, et sagacitas tanta sit, ut, omnia omnino Oraculorum responsa, et praedictiones de rebus contingenter futuris, illis queant tribui. Hinc, intelligentiam et prudentiam humana maiorem, pro principio Oraculorum ut agnoscamus, quaedam nos compellit necessitas. Illis uero, quibus regimen Oraculorum supra denegauimus, remotis, nullum aliud remanet suppositum rationale, praeter Diabolum et eius Angelos.

## XLI.

**H**os quoque, omnium commodissime, pro causa efficiente principali Oraculorum haberi, intercedens inter Cacodaemona et Oracula exactissima conuenientia, et omnium, quae ad praesidendum Oraculis necessaria sunt, requisitorum, in ipso praesentia, satis declarat. Requiritur nempe, ad edendum Oracula, intellectus, prudentia, sagacitas, humana maior, accuratior causarum secundarum cognitio, notitia rerum quae in locis etiam maxime disiunctis geruntur, et quidem, eo momento temporis, quo peraguntur, potentia cognoscendi molitiones, deliberationes et actiones aliorum hominum, quos adire non datur, potentia influendi in actiones mortalium, dirigendi easdem, et suggerendi consilia, quo in hoc uel illud obiectum ferantur, calliditas haecce phrasibus ambiguis et amphibolice enunciandi, facultas denique cognoscendi, reuelandique futura.

## XLII.

**I**nfignes has qualitates, et praestantiam haud uulgarem, Diabolo denegare non possumus, quoniam partim ex natura et



essentia ejus fluunt, partim Scriptura S. easdem ei tribuit. Cadere in Diabolum eximiam quandam intelligendi uim, probat, non tantum eius existentia, secundum quam Spiritus est completus, qui omnia per se, non ut Spiritus ille incompletus anima humana, per organa demum intelligit, unde tam percipiendo, quam retinendo ac reddendo felicior. Sed natura quoque angelica, uicuius, attributa angelica illi, pariter ac reliquis Angelis competunt, inter ista uero attributa, generatim spectanda, Scriptura Sacra quoque refert sapientiam humana excellentiorem 2. Sam. XIV, 20. et licet intellectus Diaboli, post lapsum, in diuinis rebus obtenebratus, inde tamen uirtutem res naturales penitus cognoscendi, non amisit, quin potius admodum probabile, quod Diabolus Studium Physices, ob insignem eius utilitatem, summo semper in honore habuerit, diligenterque excoluerit. Hinc fit, quod causas secundas rerum melius inuestigare, et pro conditione illarum, de successu rerum prospero uel infelici, exactius iudicium formare, ad minimum coniecturas, a uero non multum aberrantes, facere queat. In quibus coniecturis componendis, non parum illum adiuuat, tot seculis confirmata experientia, ubi enim animaduertit, positis his atque illis causis et circumstantiis, hunc atque illum sequi solem effectum, ubi easdem denuo obseruat causas et circumstantias, firmiter concludere potest, eundem effectum et nunc secuturum, nisi aliis causis superuenientibus impediatur. Errorem uero calculi ambiguitate uerborum emendare nouit.

## XLIII.

**N**otitiam quoque rerum remotissimarum, nullo negotio consequi potest, cum enim sit Spiritus, cuius iter nulla materia, et ne sic quidem aether subtilissimus remorari potest, celerime de loco in locum transit, ad ea, quae illic geruntur attendit et alibi refert. Pari facilitate cognoscit machinationes et consultationes mortalium, quibus ipsis insciis subinde interest, cumque cogitationes suggerere ualeat, haud difficulter  
con-



consilia et actiones illorum dirigit, ut ferantur in hoc uel illud obiectum, simulac uero consilia mortalium cognita habet, non est quod dubitemus, illum eadem aliis reuelare, et tali ratione futura praedicere posse. Quin audemus affirmare, illum nonnunquam futura, quorum ipse auctor non est, quaeque eius potestati non subiacent, annunciare, siquidem ex codice sacro constat, Diabolo, ex reuelatione diuina multa innotescere, et executionem iudiciorum diuinorum eidem quandoque permitti, prout hoc ex historia Iobi, Cap. I. et II. apparet. Quoniam tamen certus non est, numne forsitan DEVS, his uel illis mortalium conatibus, obstacula sit positurus, ut propositus rerum successus non sequatur, datum de rebus futuris responsum, ut plurimum uerbis ambiguis ac aequiuocis profert, quo si forte res aliter cadat, sua tamen Oraculo ueritas aliquo modo constet, et quo se recipiat, latibula habeat. Neque uero multum negotii talis amphibolia Diabolo faceffit, qui uarias uocabulorum significationes in numero habet, et diuturno usu in eo exercitatissimus euasit.

## XLIV.

Quod si porro indolem ac naturam Diaboli consideramus, eadem illa est cum natura Oraculorum. Oracula subinde caedes ac immolationes hominum, plerumque innocentissimorum, imperabant. Si enim DIODORO SICVLO fides habenda, Oraculum Delphicum iussit, ut Athenienses pro caede Androgei, poenam darent, quam Minos decreturus esset, hic uero postulauit, ut, Minotauro quoad uiueret, singulis annis, septem pueros, totidemque puellas deuorandas traderent. r) Diabolus pariter sanguinem humanum semper sitiit, et humani generis interitum exoptauit, unde etiam ἀνθρωποκτόν<sup>ς</sup> dicitur. Ioh. VIII, 44. Oracula subinde mentiebantur, et fallacibus dictis hominibus imponebant; proprium illud est Diaboli,

r) DIODORVS SICVLVS, in *Bibliotheca Lib. IV. C. V. p. 124. it. Cap. XIII. p. 131.*



boli, Joh. VIII, 44. Oracula prodibant ex inferioribus terrae partibus, adsignatur hoc domicilium Diabolo, et Spiritibus malis, in Scriptura S. passim, ad Ephes. IV, 9. coll. 1. Petr. III, 19. Causa instrumentalis saepius erant immundae hominis partes, et genitalia mulieris, per quae intrabat, ac Pythiam incitabat Daemon. decet istiusmodi organon immundum spiritum, qua appellatione insignitur Matth. XII, 43. Marc. I, 23. aliisque in locis passim.

## XLV.

**D**enique in nostra sententia, ut Diabolum, eiusque Angelos, Oraculis interdum praesedisse, asseueramus, confirmat nos facer Codex, in quo manifestum deprehendimus exemplum, quod Diabolus, sub assumpta persona Samuelis apparens, Regi Sauli responsum dederit, de exitu belli et praelii imminenti. Licet enim Dalenius, s) aliique, in dubium uocare studeant, Diabolum apparuisse et uerba fecisse, sed malint soli mulieri, quam pro Pythonissa habent, illud responsi tribuere, contrarium tamen solide euicit, PETRVS IVRIEV, t) ostendendo, quod illa euocatio Samuelis, omnino species quaedam Necromantiae fuerit. Hoc, ut obtineat, rem a capite deducit monstratque, quatuor praesertim νεκρομαντείας, siue diuinationis per mortuos euocatos, fuisse species, quarum I. cum somnum prope sepulcra demortuorum capiebant, et somnia prophetica ibidem expectabant. II. cum, ad imitationem resurrectionis, per coniurationes magicas, cadauera ad respondendum adigebant. III. Vbi simpliciter euocabant manes, ut, absque uisibili apparitione, ad interrogata responderent. IV. denique ut sub specie uisibili, in aqua, speculo, aut aliis instrumentis apparerent, et uoce intelligibili loquerentur. Ad hanc ultimam speciem, referendam esse diuinationem per **כּוּב**, ubi imagines apparebant in aqua pura et pellucida, murmur aliquod

s) van DALEN, de Vera et falsa Prophetia sub V. T. Cap. IX. p. 620. seqq.  
t) dans l' Histoire Critique, des Dogmes et des Cultes de l' Eglise Part. III. Tr. second. Chap. V. p. 470. seq.

con-



confusum audiebatur, et simul uox e terra egressa, tanquam e longinquo ueniens, indicabat, quod consulentes scire gestiebant. Hoc, ut euincat, prouocat ad fontes et significatum uocis אֹב, quae utrem, cadum, et uas aliquod profundum hebraeis denotat, minime uero Pythonem seu uentriloquum. Inde pergit ad ipsum textum, eruitque ex eodem, Saulem praecise diuinationem per אֹב, et euocationem Samuelis de mortui, non uero responsum per Pythonisam siue uentriloquam, efflagitasse. unde non dubitat asseuerare, mulierem istam ascendere fecisse Samuelem e terra in aquam uel uas aqua repletum. u) Cum igitur Diabolus ad coniurationes unius mulieris apparuit et responsa dedit, in loco obscuro Palaestinae, ubi haec omnia clam peragi debuerunt, quanto magis credibile est, Oracula illi fuisse curae cordique, istis in locis, ubi haec omnia publice fiebant, ubi in honorem eius uictimae et hostiae immolabantur, ubi templis exstructis cultus uero Deo proprius ei exhibebatur.

G

XLVI.

u) Cum Auctor adductus non in omnium manibus uersetur, L. B. forsitan gratum, saltim non molestum erit, ipsum Auctorem audire. ita uero ille: *Mais je ne sai, comment on pourroit douter, de ce que j'ai dit, apres la lecture d'histoire de Saül, et du fantome de Samuel. au premier livre de Samuel Chap. 28. Saül demande une femme בעלת אוב maitresse de l' ob. Il la trouve, et il lui dit, divine moi par אֹב ob, et fais monter vers moi, celui que je te dirai. Saül avoit dessein de parler a Samuel. A quoi lui eût serui tout cela, de chercher une femme qui eût un esprit de Python, et pourquoi auroit-il dit à cette femme, fais moi monter, qui je voudrai, puisque les Esprits de Python et les ventriloques, ne se meloient point d'evoker les manes, ni les démons, et leur métier n' étoit, que de prophetiser par eux mêmes, et par l'esprit qui les possidoit, Et de plus, ce que Saül dit à cette femme, divine moi par אֹב, et me fais monter que je voudrai fait voir evidemment, que cet אֹב, ob, étoit proprement l'art de faire monter, les morts. Et en effet cette femme appelée maitresse de l' ob, בעלת אוב par la vertu de son art, fit monter Samuel de la terre, et je ne*



## XLVI.

**Q**uod ex adducta Historia Saulis clare patet, ex Historia ACHAZIAE Regis Israelitarum, 2. Reg. I. non obscure colligitur. Hic Achazia, ubi ex graui lapsu decumberet, mittebat legatos ad Baal - Sebum iubendo, *abite, consulite Baal Sebum, DEVM Ekronis, num caualiturus sim a morbo hoc.* Noluisse Achaziam meros homines consulere, sed persuasum habuisse, quod Numen aliquod diuinum Ekronis responsa daret, probant uerba eius, *ite consulite DEVM*, quod autem reuera non Sacerdotes ac Antistites tantum, sed DEVS huius Seculi, Diabolus, per illos consulentibus Oracula impertitus sit, declarant uerba Eliae, qui ab Angelo Iehouae monitus, legatis occurrens, illos redire, et Domino suo renunciare iubebat, *sic dixit Iehouah, num, quod non sit DEVS in Israele, tu mittens ad consulendum Baal-Sebum DEVM Ekronis* quibus uerbis Spiritus S. uerum DEVM opponit Deastro Gentilium, qui Ekronis consulentibus responsa dabat, quod certe facturus non erat, si soli Sacerdotes et antistites Oracula composuissent.

## XLVIII.

**A**bsit tamen, ut quis illam nobis affingat mentem, ac si statuamus, omnium, quotquot unquam edita sunt Oraculorum, causam immediatam esse Diabolum, aut malum Spiritum, cum potius ambabus, quod dicere solent, manibus

lar.

---

*je ne doute pas, qu' elle ne l' ait fait monter dans l' eau, dans un בַּיַּת ou un Ouair, c' est - à - dire un grand bassin profond plein d' eau; le nom du lieu, où demouroit cette femme, ne m' est pas une petite preuve que sa profession étoit la Nécromance, et l' Hydromence, car le lieu s' appelloit Hendor עַיִן הַיַּד, qui signifie fons perennis, fontaine éternelle. Sans doute par ce que il y avoit en ce lieu des eaux très viues et très claires. IVRIEV. l. c. p. 473.*



largiamur, quam plurimas Sacerdotum fraudes ac praestigias interuenisse, et Vates saepius mendacia sua, pro responsis Oraculorum, uenditasse. Assentimur hac in parte CEL. BVDDEO x) *Rectissima*, scribenti, *illi incedunt uia, qui multas intercessisse Sacerdotum fraudes ac imposturas fatentur, sed tamen quaedam ad Daemonem omnino referenda esse agnoscunt.* Quod enim ad leuioris momenti quaestiones attinet, quibus soluendis Sacerdotes sufficiebant, ad eorum solutionem crediderim illos auxilium Diaboli ne implorasse quidem, non tamen negauerim, Diabolum sponte, uel illis insciis, quid respondendum esset suggessisse. Sufficere poterat, quod, in rebus grauioribus et arduis, operam et consilium adhiberet Diabolus. Quaecunque igitur, Vates a Diabolo instructi, responderunt, ea, rectissime ad Diabolum referuntur, iuxta illud, causae principali tribuitur effectus. De cetero, si quis et reliqua istiusmodi Vatum responsa, Diabolo tribuere uoluerit, propterea, quod quis per alium facit, ipse fecisse putandus sit, non admodum refragabimur. Contenti interea, si salua nobis relinquatur thesis,

DIABOLVM QVIBVSDAM ORACVLIS INTERDVM  
PRAESEDISSE, ET, QUID RESPONDENDVM SIT,  
PYTHIAEAC VATIBVS INSPIRASSE.

M. Θ. Δ.

x) *in Theibus Theologicis de Atheismo et Superstitione Cap. III. §. IV.*  
p. m. 287.











כע"ה

§. I.

**P**riore, de VERO ORACULORVM PRAESIDIO, Dissertatione, in causam efficientem principalem praecipuorum Oraculorum inquisuimus, remotisque tum falsis causis, tum illis, qui propter grauiissimas rationes pro autoribus Oraculorum haberi minime poterant, eadem uero ac genuino suo auctori Diabolo restituimus. Partim, quod mira inter indolem ac naturam Diaboli cum Oraculis conuenientia, partim, quod omnia ad praesidendum Oraculis requisita, in nemine, praeter Diabolum et eius Angelos, coniunctim deprehenderentur. Quemadmodum uero ad agendum non sufficit, ut quis omnibus ad agendum requisitis uiribus sit instructus, sed uoluntas quoque agentis accedere debet, aut grauiissimae ad minimum adesse rationes, quae uoluntatem agentis ad operandum moueant. Sic nobis nullum est dubium, quin consideratio harum rationum seu causarum impellentium, quae Diabolum ad dirigendum Oracula impulere, assertioni nostrae superiori multum ponderis allatura, eandemque egregie sit corroboratura. Potiores igitur causas afferemus, et quantum praesidii sententia nostra in illis inueniat B. L. iudicio relinquemus. Quo uero earum uis ac fulgor eo facilius mentis oculos perstringant, et animum penetrent, res altius est repetenda.

§. II.

**F**acile iudicari potest, Diabolum et eius Angelos, ex quo propria sua culpa meruere, ut a beatifica uisione Dei exclusi, ad ima tartara, intensissimis excrucianti doloribus, detruderentur,

A 2

tur,



tur, nihil prius nihil antiquius habuisse, quam ut Deo, si illud fieri posset, aegre facerent. Cum uero potentia illorum tanta non sit, ut summo ac omnipotenti Domino nocere possint, eo omnia contulere consilia, ut hominem, ad imaginem Dei conditum, a supremo felicitatis gradu deturbatum, iisdem poenis atque cruciatibus obnoxium redderent, quibus ipsi iustissimo iudicio diuino addicti sunt. Voti quoque sui, per lapsum primorum Parentum, magna iam ex parte compos factus Diabolus, finem quaesitum obtinuisset, ni Deus, misericordia ductus, lapsum genus humanum et a se auulsum, ad salutem reuocare uoluisset. Quod ubi animaduertere Caco-daemones alia uia sibi incedendum esse putarunt, quo homines a uera Dei cognitione et cultu, ad idololatriam et superstitionem pellectos, quam longissime a Deo iterum abducerent.

§. III.

Isti proposito, mirum in modum uelificari uidebatur, corrupta post lapsum hominis natura, et peruersum illius studium, cognoscendi ea, quae Deus, sapientissimo consilio, homini ignota esse uoluerat. Nec dubium est, quin hanc indolis humanae affectionem, auide arripuerit Diabolus, siquidem pro sua sagacitate perspexit, nullum, homines a certa religionis tramite, ad deuia superstitionis compita, deducendi, aeque aptum esse instrumentum, quam si earum rerum notitiam hominibus impertiret, ad quarum alias cognitionem peruenire illis non liceret. Quamuis enim Deus, tempore V. T. populo suo per somnia, Prophetas, Vrim et Thummim responsa daret, nulla tamen inuenimus in S. codice uestigia, quod de rebus ludicris, nulliusque momenti, nedum turpibus Deum consuluerit Summus Sacerdos. Subinde quoque eueniebat, ut impiis et flagitiosis hominibus, responsa a summo Numine denegarentur. hoc ipso fiebat, ut illi ad Pythones, Ariolos, Pythonissas, et huius furfuris homunciones se conuerterent, ope Necromantias, et magiae diabolicae, a Caco-daemone expiscaturi

turi



turi, quod uerus Deus iuste denegabat, ad instar illius apud  
MARONEM a)

*Flectere si nequeo superos Acheronta mouebo*

Notum est exemplum SAULIS, qui hoc ipso euocationem Diaboli, sub Persona Samuelis, a muliere Endorea factam, excusabat: *Iehoua recessit a mecum, nec respondit mihi amplius, siue per manum Prophetarum, siue per somnia: ideo uocaui te, ut notum facias mihi, quod facere debeam, Sam. XXVIII. 15.* et AZARIAE impii Israelitarum Regis, qui, cum probe nosset, se Deum Israelis ad iram prouocasse, facile diuinare poterat, peccatorem proaereticum, qualis erat, a Deo non exauditum iri, durius saltem responsum accepturum, quare, misso Iehouah Deo Israelis, consultores ad Baal Sebum Deastrum Eckronis ablegabat 2. Reg. I.

§. IV.

**D**iabolum, hos et similes legatos, summa cum uoluptate excepisse, ecquis est qui dubitare uelit? hoc ipso enim regnum Diaboli magna cepit incrementa, dum Regis exemplum Ciues sequebantur, et aris, quibus Reges hostias uictimasque suas immolabant, illi quoque thura et munuscula sua offerebant. Ut plurimum quoque laeti inde rediere, quod antistites Oraculorum, consultores raro admodum sine spe felicitatis dimitterent, si enim uel maxime tristia cuidam imminerent fata, ambiguis tamen responsis, mortalium animos, inter spem metumque detinebant, eoque efficiebant, ut homines, qui natura, quod optant facile credunt, optima quaeque sibi promissa arbitrarentur, et effata Oraculorum, tam diu in meliorem interpretarentur partem, donec calamitate oppressi contrarium sentirent.

§. V.

**A**bducti hoc modo a uero DEO, in superstitione retinendi erant, et ne iterum, unde abierant, redirent, cauendum.

A 3

Hic

a) VIRGILIUS *Aeneidum Lib. VII.*



Hic autem non leues oriebantur difficultates, quoniam enim Diabolus, insitam summi Numinis notitiam, aequae minus ac concreatum rationis lumen, ex hominibus tollere ualebat, nullo non tempore ei uerendum fuit, ne homines istius ope uerum DEVM inquirerent, et accepto rumore, de coetu, qui diuinas haberet reuelationes, Oracula et uaticinia, ad illam gentem accederent, reuelationes et Oracula ueri DEI inspicerent, lectoque sacro Codice, uirtute uerbi diuini, a tenebris ad lucem, a potestate Satanae ad DEVM, conuerterentur. Fraus Diaboli si hoc modo detecta fuisset, non exiguum regno satanico damnum imminere uidebatur, meliora quippe edocti, et a DEO illuminati, redeuntes, suos dubio procul ueriora docuissent, quam a maioribus acceperant, et ad id usque tempus, impostore Diabolo crediderant.

## §. VI.

Quare opus uidebatur, ut huic periculo obuiam iret Caco-daemon, id quod fecit instituendo Oracula. Pro ea enim, qua pollet calliditate ac uersutia, rectissime coniciebat, fore, ut homines rumorem istum, de populo, cui leges ab ipso DEO praescriptae et reuelationes concessae essent, spernerent, saltem parum curarent, existimando, leges et reuelationes illius gentis, non meliores futuras, praeceptis ac responsis Oraculorum, quibus ipsi fruerentur, hinc illius populi conditionem sua non esse meliorem. Quo frequentiora uero adornabat Oracula, eo magis imminuebatur desiderium populorum, ad remotiores regiones excurrendi, ibique Oracula petendi, id quod multitudini Oraculorum ansam dedisse uidetur. His plures praeficiendi erant Antistites, quorum ingens numerus, ad conseruationem idololatriae regnique diabolici, non parum proderat, cum omnes studium operamque suam eo conferre tenerentur, ut existimatio Oraculorum apud homines, facta tectaue maneret, et omnia promiscue Oraculorum responsa, pro uere diuinis haberentur. Illo-



Illorum itaque erat, si forte euentus uaticinio non respondisset, ostendere, non Oraculum, sed homines interpretando illud, errasse, et sententiam Oraculi non recte percepisse.

## §. VII.

**I**ngens, quod ex instauratione et praesidio Oraculorum, ad Diabolum redundabat commodum, et fructus hinc percipiendus, uel solus Cacodaemonem incitare potuisset, ut Oracula institueret, et regimen illorum in se susciperet. Sed accedit, ad rationes huc dum allatas, alia, quae non minoris est momenti, praesumptio scilicet Deitatis, pro auctore Oraculorum principali. Infitum quippe rationis lumen, omnes homines colligere iubet, certam futurorum fortuitorum cognitionem, nemini, praeter summum DEVM, competere posse, cum ad eandem, non accurata solum notitia causarum secundarum, instrumentorum, loci, temporis, aliarumque circumstantiarum, sed et praecipue, infallibilis scientia cogitationum, consiliorumque hominum, antequam eadem in animis mortalium oriantur, requiratur. Haec cum in subiectum finitum cadere non possint, quin potius pars sint omniscientiae diuinae, Diabolo, qui Spiritus tantum creatus, et finita DEI est creatura, non competunt. Sed Satanae scientia et intelligendi uis, quamquam magna sit, suos tamen habet limites.

## §. VIII.

**L**icet uero Diabolus haec optime norit, probeque sciat, se ad hoc fastigium cognitionis et scientiae pertingere non posse, fastus tamen et superbia, qua diuinos honores affectat, et pro DEO haberi cupit, illum omnia tentare iubent, quae ullo modo, ad diuinitatis existimationem consequendam, facere uidentur. Non autem sufficiebat nuda Deitatis affectatio, aut ingenerata gentibus praesumptio, eum, qui responsa illis daret, quemque diuino adorationis cultu prosequerentur, uerum esse DEVM, debebat haec opinio melius stabiliri, et mentibus hominum altius infigi. Ad hanc metam perueniendi, nullum aptius uiuebatur medium, quam imitatio operum uere diui-



diuinorum. Inter quae, cum non extremum locum occupent certa ac infallibilis rerum occultarum manifestatio, et futurorum praedictio, quippe quam Spiritus S. ipse, ut certam ueri Dei notam, commendat. Esaiæ XLI. 22. haec prae reliquis sibi imitanda sumsit Diabolus. Pro modulo sane nostri iudicii, hocce Diaboli studium, imitandi Deum, omnium maxime commouit Cacadaemonem, ad instaurandum Oracula, eisque praesidendum. Quare et haec, infernalis Spiritus *κακοζηλία* paulo curatius consideranda erit, et quanto conatu, magnalia Dei imitatus sit, dispiciendum.

## §. IX.

**C**olloquia Dei, cum Patriarchis Veteris Testamenti, ante et post Diluuium, non potuerunt Diabolum latere. obseruauit eadem dubio procul, cognouitque, Summum Numen, hominibus suam reuelare uoluntatem, quid fieri uelit imperare, et futurorum notitiam quandoque illis impertiri. Hac in parte, Deo inferior esse noluit Diabolus, sed idem per Oraculo efficere tentauit, nec rem solum, sed rei quoque circumstantias, seu modum dandi responsa, sedulo imitatus est. Cum enim Deus, *per somnia*, ita cum hominibus ageret, prouti hoc exempla, ABIMELECHI Gen. XX. IACOBI Gen. XXXI. IOSEPHI XXXVII. PHARAONIS XLI. SALOMONIS, I. Reg. III. DANIELIS, DAN. II. VII. aliorumque declarant. Diabolus pariter, in aliquot delubris, eundem respondendi modum adhibuit. De Oraculo AMPHIARAI, id affirmat PLVTARCHVS, *b)* aequè ut ex XIPHILIN. *in Epitome Dionis p. 285. 286.* BAYLE *c)* asseuerat, moris fuisse huic Oraculo, consultoribus somnium immittere,  
ex

*b)* PLVTARCHVS *de Defectu Orac Tom. II. Opp. p. 412.* ex quo etiam in superiore Dissert. §. XXXVI. exemplum, de seruo Mardonii per somnium responsum Oraculi accipientis, adduximus.

*c)* *Les reponses de cet Oracle ( d' Amphiaras ) se donnoient en songes, les consultants passoient la nuit dans le temple et ce qu'ils songoient deuoit être l' eclaircissement de la question. Dictionnaire Historique et Critique Tom. I. p. m. 209.*



ex quo responſionem ad propositam quaestionem colligere debuerunt. Eandem per ſomnia respondendi consuetudinem, MOPSI Oraculum tenuisse, ex eodem PLVTARCHO *d)* constat. Vt vaticina quoque ſomnia in templo SERAPIDIS dormientibus apparuisse, item in fano PASITHEAE et AEscVLAPII in Pergamo, in NARBATA apud Hircanos, ad aram ARDALI, apud Troezenios, testatur PEVCERVS *e)*. Idem de TRALLIBVS urbe Asiae, affirmat GALLAEVS, quod aegroti ibi per ſomnium edocti fuerint, quatenam media contra morbum adhibenda. *f)*

## §. X.

**P**orro Deus per *sortem* quandoque occulta manifestauit, reos in apricum produxit Jos. VII. I. Sam. XIV. 40. sqq. et quamnam approbaret personam, homines certiores reddidit, Act. II. 26. Ad imitationem ejus, Diabolus diuinationem per sortes instituit, cuiusmodi uaticinium olim uiguit in insula DELO, quod responsa adeo certa et perspicua dedit, ut DELIAE *sortes* longe lateque inclaruerint, et ab omnibus, teste PEVCERO *g)* pro uerissimis fuerint habitae. Celebrantur adhaec sortes LYCIAE, item sortes PRAENESTINAE, quarum haec Romanis maximo in honore erant. Referendum huc quoque est, HERCVLLIS Oraculum in urbe Corinthiorum, ubi ex talorum iactu futu-

*d)* l. c. p. 434. ubi exemplum de Praefecto Ciliciae, Oraculum Mopsi per obſignatas literas tentantis uid. *Diss. prior. §. XXXI.*

*e)* de *Variis Diuin. Gen. Cap. de Oraculis fol. m. 101.* conf. quoque SERV. GALLAEVM de *Sibyllis Cap. XIII. p. m. 243.*

*f)* GALLAEVS l. c. p. 244. ex Strabonis L. XIV. refert *Trallibus* quoque *Asiae urbe*, inter *Meandrum* et *Caycum* fluuios sita, antrum fuit *Cbaroneum*, in quo aegroti, post ceremonias solenniaque sacra peracta, loci illius Genio prius inuocato, in somnis remedia, contra morbos necessaria et uilia, addiscebant.

*g)* Qui l. c. fol. 99. *Deliae sortes*, scribit, ob perspicuitatem et certitudinem in admirationem uenerunt, quod sine ambiguo sensu, sineque obscuritate, quaesita declarare persuasum erat.



futura noscebantur. Tali uero uariis literis inscripti erant, ita, ut ex eis uerba componi possent, hos super mensam proiiciebant, et ex literis apparentibus, uerba sensumque Oraculi componebant. *b)*

## §. XI.

**D**eclaratio diuinae uoluntatis per sortes, perspicua quidem, et, quoniam dirigente Deo, sortes dabantur, certa satis, unde etiam in causis maximi momenti adhibitae leguntur. Cum uero uoluntas Dei, per sortes non ita commode proponi, et prolixè explicari poterat, quam per uerba ore prolata, placuit Supremo Numini, per *uocem Prophetarum* cum hominibus colloqui, et per os sanctorum Virorum, quandoque etiam Mulierum, interpretationes legum suarum promulgare, mortales ad obsequium hortari, et futura praedicere, cuius rei, sat multa exstant, in sacris literis exempla. Simius ille Dei, Diabolus, in locum Prophetarum, *Vates* suos, *Pythiam*, et Oraculorum antistites ordinauit, qui eadem officia apud infideles subirent, uoluntatem suam hominibus interpretarentur, et populum in superstitione retinerent. Obuia haec sunt, et omnibus nota, ita ut probatione non indigeant.

## §. XII.

**P**atriarchis, aliisque piis hominibus, *ad mortem appropinquantibus*, Deus nonnunquam uaticinandi donum concessit, ut, illuminati et acti a Spiritu sancto, futura fata, liberis suis aliisque, annunciare possent, uti id exempla, *JACOBI*, Gen. XLIX. *MOSIS*, Deut. XXXIII. *ELISAE* 2. Reg. XIII. 14. seq. aliorumque demonstrant. Idem quoque tentasse Diabolum, ostendunt exempla Gentium, qui pariter, antequam ex hac uita migrarent, mortalibus futura praedixere, de *RHODIO* quodam, testatur *CICERO* *i)* quod moriens, sex aequalibus dixerit, qui primus, qui secundus, qui deinceps moriturus esset, de *SOCRATE* uero refert

*b)* Vid. *VENERIVM de Orac. et Diuin. Cap. I. p. 6.*

*i)* *L. I. de Diuin. Cap. XXX.*



refert Xenophon in Apologia eius, quod morti uicinus, istiusmodi quid sibi sumserit, dicendo, βέλομαι καὶ ἐγὼ χρησμοδῆσαι τι, *Volo et ego iam aliquid diuinare*, secundum HEIDEGGERVM. k)

## §. XIII.

Constituta Politia Mosaica, Deus, uia ordinaria, per summum Sacerdotem consulebatur. Hic, linteo indutus, sumtoque *pectoralis*, cui inclusum erat *Urim* et *Thummim*, priuilegio quodam gaudebat interrogandi Deum, et diuina Oracula reddendi. Hic simul causas arduas cognoscebat, et certum de illis iudicium pronuntiabat. Crediderim Aegyptios, nullius, nisi Diaboli instinctu, haec omnia imitatos esse, apud illos enim totum hocce de *Urim* et *Thummim* mysterium, mutato tantum nomine et figura, repertum fuit. AELIANO l) etenim, atque DIODORO SICULO m) referentibus, Sacerdotum, qui simul iudices erant, natu maximus, in iudiciis solemnioribus, imaginem quandam ex Sapphiro confectam, et pretiosis gemmis ornatam, collo appendebat, tum causa cognita, *signam ueritatis* uersus partem ueriores uertendo, litem dirimebat.

B 2

§. XIV.

k) in *Histor. Patriarch. Tom. II. Exercit. XXIII. p. m. 705.*

l) AELIAN. *Var. Histor. Lib. XIV. Cap. XXXIV. p. m. 761.* *Apud Aegyptios, inquit, olim iudices Sacerdotes erant. qui natu maximus eorum Princeps erat et in omnes ius dicebat, illum autem oportebat esse iustissimum neminique parcentem, εἶχε δὲ καὶ ἄγαλμα περὶ τὸν ἀυχένα ἐκ σαπφείρας λίθου, καὶ ἐκαλεῖτο ἄγαλμα ἀλήθεια gerebat autem de collo imaginem ex Sapphiro, et imago illa uocabatur ueritas.*

m) in *Bibliotheca L. I. P. II. Cap. III.* idem affirmat quod AELIANVS, et imaginem istam, ζώδιον τῶν πολυθελῶν λίθων *signum praecipuosorum Lapidum* fuisse dicit. Nec male MARSHAM. *Ex utroque, inquit, autore colligendum est, simulacrum hoc ueritatis, ex sapphiro praecipue confectum, aliis pretiosis lapidibus ornatum fuisse.* in *Canone Chron. Sec. XI. p. 316.*



## §. XIV.

Oportebat eum, qui in dandis Oraculis summum Deum imitari studuit, in denegandis iisdem, supremi Numinis morem aliquando pariter obseruare. Quo in negotio, suis quoque partibus non defuit Cacodaemon. Quemadmodum igitur sacris literis edocemur, Deum Israelis, tum summo Sacerdoti, tum aliis responsa nonnunquam denegasse, eo praefertim tempore, cum totus populus reatum contraxerat, uel consultores per peccata uoluntaria gratiam diuinam amiserant, et in impenitentia perseuerabant. Ita quoque historia profana oculis nostris sistit exempla, ubi Oracula, uel potius Daemon, in enormitate scelerum uiuentibus, responsa imperitari recusarunt. SIBARITAE id experti sunt, quos Oraculum Delphicum, ob caedem Citharoedi *ad altare Junonis* commissam, responsi loco increpuit, referente AELIANO *n*). Idem autor memorat, Pythiam, Adolescenti cuidam, ut sine uaticinio abiret, iussu Oraculi imperasse, eam ob causam, quod in itinere ad Oraculum Delphicum, socio a latronibus occiso, opem non tulisset. *o*) parem fortunam expertus est ALYATTES qui cum diu decubuisset, Legatos misit ad Oraculum Delphicum, consulturos de ualetudine sua. Pythia uero negauit, se responsum daturum, priusquam templum Mineruae, ab Alyatte accensum, restitutum esset. teste HERODOTO. *p*)

## §. XV.

*n*) *l. c. Cap. XLIII. p. m. 244.* ipsum responsum huius fuit tenoris *Caede meis mensis, manibus nam sanguis adhaerens, Destillansque recens, prohibet tibi limina templi. Non tibi fata canam; magnae Iunonis ad aram, Musarum innocuum strauisti caede ministrum. Non immortales hoc Dii patientur inultum. Si quis enim prudens, scelerata a mente profectum, Committat facinus, grauis hunc prope poena sequetur. Non exorabit, neque si genus ab Ioue summo Duceret: ipse suo collo, collisque nepotum, Hoc licet, et generi cumulatim damna ferentur.*

*o*) AELIANNS *l. c. Cap. XLIV.* Oraculum datum ita sonat. *Occidi socium*



## §. XV.

**P**raeter Oracula, alia quoque exstantiora Dei opera, imitari conatus est Cacodaemon. Nouerat nimirum, Deum populo Israelitico in itinere ad terram sanctam, nube ac igne praeiuisse, et peregrinantibus, quam incedere deberent uiam, monstrasse. Hinc facile adduci potuit, ut simili prodigio, Alexandro, ad templum Jouis Ammonis contendenti, praeiret, et ope duorum coruorum Regem ad Oraculum deduceret. *p)* Iuat hac de re audire ARRIANVM qui hoc Alexandri M. iter designans. *Inde* (a Paraetonio) inquit, *mediterranea petiit, ubi Hammonis templum est, unde Oracula petuntur. Est autem uia plane deserta, altoque sabulo plerisque in locis impedita, et aquae inops. At Alexandro larga e coelo pluuia demissa est, quod quidem prodigic habitum fuit: sicut etiam hoc. Quotiescunque auster ea in regione spirat, magna ui arenae uiam obruit, ita ut omnia uiarum uestigia obducantur, et, perinde ut in pelago, qua eundum sit cerni prae arena non possit. Neque enim signa ulla siue notae ad uiam exstant, non collis, non arbor, non certi tumuli, ex quibus uiatores itineris rationem colligere, ut nautae ex astris, possint. Errabat itaque Alexandri exercitus, et Duces uiae plane ambigebant. Ptolomaeus Lagi filius autor est, Dracones duos, clamore edito agmen praecessisse, et Alexandrum, Ducibus imperasse, ut prodigio acquiescentes Dracones sequerentur, qui eos in Oraculi sedem et duxerunt et reduxerunt. Aristobulus autem (et frequentior fama ita habet) duos coruos ante exercitum uolitasse scribit, eosque Alexandro itineris duces exstitisse. Ego uero affirmare ausim, ipsum aliquo prodigio adiutum fuisse; uerisimile enim omnino hoc est: at rei ueritatem scriptorum uarietas obscurauit. haec ARRIANVS *q)* Similia his sunt, quae habet STRABO *r)*. §. XVI.*

*socium praesens es passus amicum. Non tibi uaticinor sacro te proripe templo.*

*p)* Lib. I. Sect. XV III. p. 8.

*q)* de Expedit. Alexandri Lib. III. Cap. III. p. m. 107. Edit. GRO-  
NOV. de anno M DCC IV.

*r)* STRABO Geograph. L. XVII. p. m. 1168. Calisthenes, inquit, narrat  
Alexan-



## §. XVI.

**N**on autem circa imitationem operum diuinorum substitit Diabolus, sed nomina simul ueri Dei affectauit. neque ullum fere Summi Numinis nomen reperitur, quod, licet paululum mutatum, non gesserit Diabolus. יהוה et יהוה sunt nomina diuina, quibus in scriptura sacra uerus Deus denominatur, quare ratione uero Diabolus haec suo cultui idololatratico applicarit ingeniose satis eruit EDMUND DICKINSON s) ostendendo, inscriptionem templi Delphici, EI, quae antiquitus ita, ΞΙ expressa fuit, uel ex graeco εἶμι sum, ut hebraeorum יהוה ab היה fuit, uel ab hebraeo יהוה per inuersam scriptiōnem deducendam esse. Sic quoque אדני est nomen uere diuinum, cum itaque Bachi nomen Ἀδονεύς impositum legimus, hoc ad imitationem אדני Adonai factum esse, ueritati admodum simile fit. Vnde quoque iam adductus DICKINSON t) Graeci scribit, *sanctissima summi Dei nomina, ad Bachi cultum atque honorem scelestissime detorserunt. Ille enim Ἀδονεύς ille ἐλελεύς ille Ἰάω et Ἰηίος (uocalibus ipsa Dei nomina ualde redolentibus) appellatur.* Unde non incongrue colligit B. D. MICH. DILHERVS, acclamationem istam ἐλελεύ Ἰάκχη qua in celebratione Bachi usi sunt Gentiles, ad imitationem hebraeorum יהוה היללו efformatam, et mox addit *Tripudiasse crediderim nefandum generis humani hostem, et Oraculorum Dei illusorem, quoties ipsi, sanctum eius uerbum tam audacter inuolare, et peruertere licuit u)* Non minus usitatum ueri Dei

*Alexandrum ambitione quadam inductum ad id Oraculum (Ammonis) contendisse quod intelligeret Perseum et Herculem prius eo adscendisse atque ex Paraetonio profectum quamuis austrinis incedentibus flatibus pertendisset et cum per puluerem uagaretur, imbrium superuentu, et duorum coruorum, qui iter monstrarent seruatum esse.*

s) in Delphis Pboenicizantibus Cap. X. p. m. 97. seqq.

t) l. c. p. 104. seq.

u) Conf. B. D. DILHERI *Dispp. Academ. Volum. Nou. Dis. IX. de κακοζηλία Gentilium* Cap. I. p. m. 171.



Dei nomen fuit, cum Dominus צבאות appellabatur, ad cuius imitationem Bachum Σαβάζιον, et Iouem Sabasium cognominatum, non sine insigni probabilitate colligunt eruditi: x) Quin, ab ipso nomine Dei essentiali, יהוה quod Deus creaturae tribui noluit, ex Esaiae XLII. 8. ne quidem abstinuit Cacodaemon, et, cum idem illud nomen sibi uendicare non auderet, ad similitudinem tamen eius Iouem se appellari curauit y) Horret sane animus inscriptionem perpendens, quae quondam in Simulacro Mineruae quod ΣΑΙ erat, hoc modo reperta fuisse dicitur ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονός. καὶ ὄν καὶ ἐσόμενον Ego sum omne quod fuit, quod est, quodque erit et peplum meum nemo mortalium reuelauit, quibus ex STOBÆO adductis, pro ἀκριβείᾳ iudicii sui subiungit, B. D. DILHERVS z) Quid est obsecro, uerba Iohannea, quibus uerus et aeternus Deus indigitatur: ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος Apoc. I. 4. exprimere, si hoc non est. Sed quoniam hae Deorum gentilium (et sic quoque Cacodaemonis) appellationes et cognomina, ab aliis iam, ex instituto inuestigata et pertractata sunt, illis non diutius immorabimur, quin potius lectorem, plura de his cognoscere cupientem, ad BOCHARTI a) DILHERI b) DICKINSONII c) FULLERI d) OVVENI e) aliorumque scripta remittimus. Possemus in consideratione κακοζηλίας diabolicae ulterius adhuc progredi, et ostendere, qua ratione Cacodaemon plurimos ritus sacrorum, diuinitus quondam praescriptos, pariter fuerit imitatus, sed quoniam largam hic messem pridem iam

x) conf. DICKINSON. l. c. Cap. X. p. 108. et IO. OVVENI Theologumena Lib. III. Cap. X. §. VII. p. 245.

y) Vid. OVVENVM l. c. Cap. V. p. 244.

z) l. c. p. 172. seq.

a) Vid. SAMVEL BOCHARTVM Lib. I. de Phoenicum Coloniais.

b) DILHERVS l. c. in Disp. de κακοζηλία Gentilium.

c) DICKINSON in Delphis Phoenicizantibus Cap. X.

d) FULLERI Miscellanea sacra Lib. II. Cap. VI.

e) OVVENI Theologumena Lib. III. Cap. X.



iam contulit B. D. DILHERVS, *f*) et opera data argumentum hoc copiose pertractavit, ne acta agere uideamur libenter hic acquiescimus, eoque magis, cum limites praescripti, intra quos subsistendum est, eadem pro dignitate persequi non permit- tant.

§. XVII.

**C**onstabit facile, ex iis, quae hucdum allata sunt, desiderium Diaboli abducendi homines a uera Dei cognitione et cultu, ad superstitionem et idololatriam; Metum abductos amit- tendi, et hinc orientem curam retinendi eosdem, ne ad uerum Deum reducerentur; Studium persuadendi Gentilibus, se ue- rum colere Deum, qui futura illis reuelare posset; Fastum ac superbiam quo diuinos honores affectat Diabolus; Spem con- sequendi per Oracula existimationem deitatis, ingens com- modum ex moderamine Oraculorum percipiendum; impiam denique, opera uere diuina imitandi, aemulationem, Cacodae- moni, ut praesidium Oraculorum non solum susciperet, sed et auide simul appeteret, causas existisse impellentes.

M. Θ. Δ.

*f*) l. c. Disp. de κακοζηλία Gentil. tam parte generali quam speciali, ubi ostendit, apud Gentiles eadem fuisse qua olim apud Iudaeos erant, festa, sacrificia altaria, lotiones, sacerdotum uestimenta, preces ante sacrificia, et quae plura huc pertinent.





# DE ICONE SACRA

## I

**A**Uspicio DEI, in quo spes, opeque meae, sitae sunt, et auctore consilii PRAESIDE, ICONIS SACRAE rationem primum hic generatim, tum speciatim, explorare paro. Cum enim, uti aiebat ille, in sermone non solum vulgi, sed etiam omnis dignitatis, sexus, aetatis, nationis, nihil crebrius fere Icone occurrit, tum in sacris haec dicendi ratio, in maximis rerum argumentis, frequens est, ut iudicari possit, inesse in eo quidem genere aliquid, in uestigatione nostra non indignum

## II

*Εἰκὼν* autem, cui modo *εἰκασίαν*, modo aliud nomen sufficiunt, ab *εἶκω*, *similis sum*, oritur, atque in Latio per *Imaginem* redditur, quam ab *imitor* quasi *imit aginem*, sed per meram allusionem, dictam uolunt. Propria uero, ac trita usu, notione nihil aliud enunciat, quam corporis cuiusdam expressionem, siue picta, siue ficta imagine, quae posterior effigies nominatur

## III

Ufus uocabuli late patet. quot enim artes, ac disciplinae, tot etiam fere imaginum genera deprehenduntur. C. F. Menestrierius, elegantis et ingenii, et artis, sodalis Ignatianus, has quidem, pro instituti sui ratione, ad quinque reuocat Classes. alias enim Theologicas, alias Morales, alias Aenigmaticas, alias denique Philosophicas, docet. Philosophicas autem amplius Iac. Masenius in Symbola, Emblemata, Hieroglyphica, et Aenigmata, tribuendas putauit. At enim in hac distributione moneri quaedam, et plures uocis notiones addi possent, si quidem ex usu nostro foret

A 2

IV No-



#### IV

Nostra refert, considerari, quemadmodum id uerbi ab Oratoribus accipiatur. Hi uero, singulari ueri ratione, *ἡμᾶ* quoddam Rhetoricum designant. Quemadmodum enim uulgaris Imago, qua res ad uiuum exprimitur, figurae similitudinem, conformationem, et conuenientiam quandam, ostendit, sic in illa Rhetorum quasi pictura, si non quod ad externam formam, tamen quod ad perfectiones, qualitates, adiuncta, consimilem quandam rationem, consensionem, effictionemque, licet, reperiamus

#### V

Eadem Oratorum uestigia etiam nos persequimur, et perinde, atque illi, quandam Orationis formam, cum simulacro alterius rei effictam, intellectam uolumus, uerum non uulgi usu contritam, neque profanam, sed exquisitiorem, et sacram, hoc est, eam, quam sanctissimus DEI codex exprimit

#### VI

Misso nomine, ad ea transimus, quae Iconis Sacrae uim, ingeniumque, et explorant, et distinguunt. At uero Iconis ratio sita est in conuenienti assimilatione, qua quid cum alio breuiter, atque uno fere uocabulo, citra omnem *πρότασιν*, atque *ἀπόδοσιν*, interposita quadam similitudinis particula, confertur. Quare facile apparet, *ἀναλογίαν* quandam, seu ratam quampiam, mutuoque respicientem, rationem, ac similitudinem, ipsis in rebus obuiam, postulari, si quidem res hoc demum habitu sit conuestienda, atque ornanda. Etenim, si res in nullo, quod dicitur, *Tertio* sibi respondent inuicem, neque adeo ulla prorsus ratione comparari inter se possunt, plurimum abest, ut imagines hae apte adumbrentur

#### VII

Huiuscemodi uero Imagines ex omni rerum genere ducuntur.



cuntur. Sunt, qui arbitrentur, *Imagines* tantum a *Numinis*,  
*aut animantis, forma sumi*. Extat etiam haec Iconis descri-  
ptio. *Icon est, cum illustri quadam, et gloriosa, pictura, aut*  
*specie, persona quaedam, aut res, producitur*. Verum tamen  
cum *Imagines* ab alia etiam, quam *Numinis*, aut *Animan-*  
*tis, forma sumtae*, cum in scriptoribus aliis, tum in sacris,  
obseruentur, neque adeo gloriosae semper picturae exi-  
stant, nos quidem, saluis aliorum iudiciis, existimamus, non  
*Spiritus* tantum, ac quaeuis *Animalia*, sed etiam *Mineralia*,  
*Vegetabilia, Coelestia, ac Meteora, et alias res, cum natura-*  
*les, tum artificiales, eam habere rationem, ut Imagines*  
*tum gloriosa, tum minus gloriosa, ac medii cuiusdam ge-*  
*neris, pictura, praebeant, et largiantur*

### VIII

At quaesierit quispiam, num illud, sub cuius *Imagine* a-  
liquid oculis subiicitur, semper clarius, notiusque, esse de-  
beat eo, quod sub forma huius, uel illius rei adumbratur?  
Omnino autem affirmandum uidetur. Nam si finem, sco-  
pumque, de quo infra dicemus, respicimus, is cessabit pror-  
sus, ubi obscurum per aequae obscurum, aut per longe ob-  
scurius etiam, explicatur. Ad huc *Fabium, Instit. Orat. lib.*  
*VIII, cap. III* Vatibus quidem datur haec uenia, ut ali-  
quanto liberius agant, et obscuriore interdum, quae  
rei mythicae imperitis uideri possit, *Idea res clariores*  
*inuoluant, quod Poetica, hoc est, aliena prorsus lingua*  
*saepe loquuntur, eiusque cognitionem a lectore, in-*  
*stituti sui sciente, expectant*. Verum licentiam istam  
*Poeticam sapientissimo, alioqui liberrimo, Spiritui tri-*  
*buere non ausim, propterea quod hic, pro bonitate sua,*  
*statuit, non solum doctiores, atque acutiores, sed etiam*  
*rudiores, docere perinde, ac salutari ratione commo-*  
*uere*

IX Et-

X, 3

1719



## IX

Etenim nostrum hoc Schema Spiritum Sanctum agnoscit Auctorem, qui medio, Scriptura Sacra, ministerio uirorum Θεο-πνεύτων usus, non solum quid, sed etiam quo modo, loquendum, scribendumue sit, extra ordinem suggessit, uti ex Matth. x, 19, ac 1 Cor. ii, 13. constat. Quare idem omnium cum uerborum, ac Phrasium, tum Troporum, et Figurarum, totiusque adeo styli, et sermonis, effector merito censetur

## X

Hoc autem ipso id intuetur diuinus Spiritus, ut non tantum lectorum, auditorumue, animos breuius, atque efficacius, rerum notiorum, efficaciam, qualique praesentiam, conspectu tam doceat, quam commoueat, uerum etiam ut languori, facile alias, in humana infirmitate, obrepere solito, benigne medeatur, nostramque sacras paginas euoluendi, et cum animi commotione scrutandi, industriam excitet identidem, et confirmet. Haec enim Figura orationis perspicuitati, atque illustrationi, quin et sententiae ἐμφατικῶς, καὶ μετ' ἐνεργείας, per neruosam breuitatem, exprimendae, cum primis inseruit. Ita uero Orationis sacrae uim amplificat, et dignitate, ornatuque, ubi illustrem amplectitur rei Imaginem, largiter auget. Icones quidem, sapienti consilio, delectuque adhibitae, atque a rebus uel insignioribus, uel aliquam uim, ad ciendum animi motum idoneam, habentibus, depromptae, non possunt non euidenter, sublimem, efficacemque reddere sermonem. Omnis enim talis, quae rem noua induit specie, Figura ὕψος quoddam est, atque a uulgato dicendi more, quamuis ipsa populari frequentetur consuetudine, longius abit. Quod scienter me docuit PRAESES, ex tam exquisita, quam uulgo ignota fere, disciplina Longini, in quo etsi Sectio xxxvii, quae Εικόνοσ uim, usumque ἐν τῷ ὕψει exposuit, iniuria temporum intercidit, tamen, cum ea aliunde, nominatim ex Aristotelis lib. iii, cap. i v, aliisque suppleri possit, quantum huic χήματι ab acerrimi Rhetore ingenii tributum fuerit, intelligi potest. Reliquum est, ut magnam, singularemque in docendo, mouendo, et delectando, efficaciam Iconis, non solum in civili, sed etiam sacro argumento, perspiciamus

## XI Ve-



XI

Venio nunc ad praecipuum omnis Expositionis caput, quod ipsa rei Definitione, saltem non obscura, continetur. Quae cum a uariis tradatur uarie, nos quidem, salua aliorum auctoritate, Imaginem Sacram describi sic posse, remur. Icon Sacra est Schema Rhetoricum, quo Spiritus Sanctus, in Verbo suo, tum personas, tum res, breui assimilatione, undecumque petita, Protasi tamen atque Apodosi extrinsecus destituta, per quandam similitudinis particulam, clarius, atque ἐμφατικώτερος, eloquitur, ut et euidentius doceat, et efficacius commoueat, et tanto facilius, commotis hominum animis, industriam considerandi pie ueritatem diuinam incendat, languoremque animi depellat.

XII

Res, uti uidetur, in promptu est, ex iis quippe confecta, quae ex instituto breuiter inuestiganda uidebantur. Ceteroqui parum morabimur, utrum Schema, quod et Figuram dicimus, a Geometris, an a Scenicis, sumtum uideatur, quamuis, posterius magis nobis probari, non diffiteamur. Prae ereundem tamen non est, Figuram hic non ampla illa, generalique, notione, qua Tropos etiam includit, capi, sed arctiori quadam significatione. Hoc pacto a Tropis differt Figura, et nihil est aliud, quam quaedam Orationis forma, qua ea a simplici, et communi, consuetudine abducta, per uerba, sententiamue, aliquid nouae dignitatis suscipit, praeter omnem tamen translationem, minusue proprium loquendi genus. Quod quidem cum in Schema nostrum conueniat, liquet iam, illud minus bene Tropis interseri, ac misceri, quod tamen alicubi factum uidetur.

XIII

Et quanquam non negamus, magnam Schemati nostro cum aliis quibusdam intercedere affinitatem, idcirco tamen cum illis paria non facit, ut eos quidem putasse crediderim, qui in Rhetoricis Iconem, confusis inter se Figuris, omiserunt. Namque a Comparatione, cui non omnino dissimilis uidetur, illud differt, quod in uno fere uocabulo consistat, cum illa πρότασι, atque ἀπόδοσι, adeoque plura membra, ostendat. Nec uero minus a Metaphora discedit, quae uocum translationibus utitur, ab assi-

milan



milandi uero signis abhorrens, similitudinem tegit. Hinc abest Icon, dum significationes uocabulorum non transfert, sed tantum similitudinem aperte docet. Quare cum ad Metaphoram ab Aristotele reuocetur Icon, ipse tamen, aliquid hic interesse, fateatur, rectius Metaphorae uicinam uocat Longinus. Vtor composita Buchneri mente, ubi commutatam dicendi rationem unus omnium optime exponit, cap. xii

XIV

Quemadmodum ab Allegoria, et Collatione, quam *συμβολήν* Graeci appellant, distinguenda sit Imago, monitu haud opus est, nam si eam hinc a Metaphora, hinc a Comparatione, discreueris, nunquam miscueris uel cum Allegoria, uel cum Collatione. Etenim Allegoria Metaphoram continuat, Collatio autem Comparationi adeo affinis est, ut ab ea tantum similitudinis consecutione distinguatur. Scienter, quem laudauit, Buchnerus Iconem a similitudine, ut speciem a genere, distinguit

XV

Postquam, uti ab aliis Icon Sacra differat, exposuimus, sequitur, ut, quemadmodum ipsa distingui possit, inuestigemus. Ac primo quidem ex ipso habitu, quo quid circumdatur, diuersitas quaedam oritur, ut alia sit Icon a Spiritibus, alia ab Animalibus, alia a Vegetabilibus, alia a Mineralibus, alia a Meteoris, alia ab aliis, uel Naturalibus, uel Artificialibus, rebus, ita uti supra ostendimus, arcessita. Deinde, cum non semper eadem mente Spiritus Sanctus Imaginibus uerbum suum illustrauerit, Figuram quoque nostram in Didascalicam, Elencticam, Paedeuticam, Epanorthoticam, et Paracleticam, haud incommodè forte dispescemus. Tandem, non male me acturum esse, confido, si quidem Imaginem partim gloriosam, saltim contemtionis expertem, partim ignominiosam, contemtusque plenam, partim mediam, producam.

XVI

Quae quidem exemplis illustranda uidebantur. At enim huc spectat Expositio Specialis, quam propediem, DEo bene iuuantem, adiungemus. Quare interest instituti, ut filum iam non tam abrumpamus, quam suspendamus



# CONCIONVM SACRARVM

## NECESSITAS

ASSERTA

---

### I.



Etus, quem uerbi diuini minister, nobilior, coelestem circa doctrinam uersans, inde a temporibus, quam asserta est hominum salus, iusta serie, nexu indiuiso, idque ob diuinum, quo suffultus est, mandatum, ob humanam, a qua retrahere miseros debet, calamitatem, ob permagnum salutis gentium Vindicis, quem annuntiat & confert, beneficiorum cumulum, ad nos est propagatus. Tempore modo procedente, cum augerentur numero auditores, atque ex imperio *Constantini* in primis, & animo, & pietate, *Magni*, suaues capere libertatis fructus inciperent, externum, uti fit, σχῆμα eius mutatum est uarie ac splendide politum. Ea de re non diffitemur, in sat bene ornatis, quae Oratoria, Basilicas, Martyria, nominabant, templis, Seculo iam IV, conciones, uerborum



abundantes flumine, gestuumque decenti uarietate nequaquam destitutas, e sacra cathedra, suggesto, ambone, habitas fuisse, prout hoc ipsum rerum in DEI coetu gestarum periti, ex *Socrate & Sozomono*, haud obscure ostendunt.

## II.

**Q**uem quidem nitorem, ex alia aliaue causa, peius, quam par fuerat, & audiuisse, & etiam nunc, apud bene multos, audire, nemini, qui modo labem istam licentiae quaeque innouandi, & innoxia quaeuis male interpretandi, cognitam habet, mirum poterit admodum uideri. Id uero, citra uehementem indignationis sensum, probus facile cogitabit nemo, tam antiquiorum nonnullos, quam recentiorum, ipsam quoque publicam, in salutari doctrina, institutionem, quasi minus utilem, & sine ulla dubitatione, penitus abrogandam, suggillare, atque, ut eius necessitatem, omni nisu, modisque omnibus, in dubium uocare illiberaliter, & peruertere cupide satis, possint, elaborare. Fingunt enim multi, nescio, quam, Spiritus & Christi, in corde hominis, concionem, nec pauci lumen suum, lucem, scintillulam, semen, legem, Euangelium, uerbum, alia id genus, cerebri male sani deliria, proferunt, alii, omnem ueneran-



uenerandi Ministerii necessitatem, nunc palam, nunc tectius, reiiciunt, quidam denique, ut reliquorum monstra opinionum omittamus, quemlibet sui ipsius posse animi curatorem esse, scribunt.

### III.

**P**rimi, post auspiciatissime per diuum Lutherum reductam e tenebris Euangelii lucem, qui, in repurgato DEI coetu, excitarunt turbas, *Anabaptistae* & *Suencofeldiani*, impiam, de abrogando ministerio sacro, concionibusque publicis negligendis, sententiam, simul cum reliquis, non minus insulsis, opinionibus, copiose sparserunt.

### IV.

**S**eculo nondum integro praeterlapso, *Valentinus Weigelius*, eiusque aedeciae, eandem, magna quidem animi uehementia, imo furore quodam, cramben recoquere, nihil dubitarunt. Ac, nisi erramus uehementer, ex hoc *Weigelio* sapiunt omnes, quotquot nostro etiam tempore ineptas, de Christianorum sacris, conceperunt sententias, atque uariis licet, & pro inani fortasse & uana ipsorum opinione, ualde nitidis, coloribus pictas, luci publicae, Cimmeriis potius Aegyptiisque tenebris dignas, exponere sunt ausi.

A 3

V.



## V.

**V**Veigeli *σύγχρονον*, quem coria dignoscere melius, dissecare rectius, aptiusue componere, quam res sacras digne quidem scrutari, aut uera accurate a falsis diiudicare, perspicue item aliis tradere, potuisse, facile credimus, *Iac.* inquam, *Boehmium*, in hoc cum VVeigelio amice conspirasse, plus satis liquet. Neque uero sibi publice profiteri, duxit religioni *Iacobus*, omnes, qui uerbum DEI doceant, ab hominibus uocatos, sine Spiritu esse DEI, ac nihil, praeterquam lapides conferre & ligna, ad turrin *Babylonis* extruendam.

## VI.

**N**ollemus sordida futuri filia a quoquam esse arrepta, eadem uero illa non nullos sua fecisse, gestorum monumenta loquuntur. Hos inter, qui ex Reformatorum coetu secessionem fecerunt, *Labadistas*, censemus, numerandos, eosque hoc promptius in hunc referimus censum, quod ipse omnium, ut statim apparet, infelix nouarum opinionum Patronus, *Gothofredus Arnoldus* eadem sensisse ipsos, in sua, de Haeresibus, fabula, publice testatur. Cum primis ipsemet *Io. de Labadie* de conuentibus ecclesiae membrorum publicis, pariter,

ter,



ter, ac *Iacobus* iste, foedam fouit sententiam, satellites item eius, *Henr. Sluterus*, cum *Anna Maria Schurmannia*, fidem, ex concionibus, harumque auditu, esse, negarunt, immo *Yvon*, omnes ac singulos ita oportere illuminatos esse, ut uocem DEI interiorem, in ipso animo haerentem, audiant, contendere non dubitauit.

## VII.

**T**remulam *Quackerorum* gentem, de qua nonnulli, praeter spem forsan, opinionemue, locis, ubi id fieri minime debebat, & fouentur, & aluntur, suo sese, ad insaniam usque, delectare spiritu, inter omnes constat. Qua quidem ratione fieri non potest, quin Sacrae, diuinitusque nobis concessae, literae, turpiter contemnantur, gregisque diuini, ex iisdem, institutio, tam solícite, ab ipso Numine, commendata, non parum labefactetur.

## VIII.

**Q**uin etiam aliorum, qui, nostro tempore infelici, sacrarum concionum necessitatem, altis quasi superciliis, contempserunt, ac pro nihilo reputarunt, numerus haud est paruus. Hinc, studio, quosdam, operaque data, silentio praetereuntes ἀνωμόως, nonnullorum saltem, omnia iuris repa-  
gula



gula & pudoris perfringentium, sententias ac uoces, facere non possumus, quin producamus in medium.

## IX.

**H**orum e numero Philosophis pariter, ac Theologis, notus satis, *Petrus Poiretus*, non dubitauit palam confiteri, ab sola pietate omnem constitui Christianismum, eumque haud difficulter posse consistere, etiamsi sacerdos suppeteret nullus, nulla aedes conspiceretur, nullus externus uigeret cultus. Sic igitur credas, saltem in gratiam uiri huius, ex pietatis exercitio cum *Antonia* quadam *Burignonia*, plus solatii, plus mentis & animi tranquillitatis redundare posse, quam quidem uel munus aliquod sacrum afferre cuiquam, uel perpetua eius administratio polliceri unquam possit.

## X.

**A**d eandem opinionem accessisse *Gothofredum Arnoldum*, hoc minus quisquam mirabitur, quo magis in memoriam reuocabit eos, qui docent, illum ab opinionibus istiusmodi minime fuisse alienum, quibus sacra nostra non leuiter tangantur, quae, tamen inuitis licet obtrectatoribus omnibus, felicissimis **DEI O. M.** auspiciis, ad extremum usque



usque perdurabunt. Nouimus enim, eundem, fere ad sententiam *Esaiae Stiefelii*, & *Io. Christiani Seizii*, dixisse, uerum fidelem desiderio non teneri Deum publice colendi, publicum frequentandi templum, Sacra Coena utendi, sed haec omnia tantum ab ipso propter quietem & pacem obseruari.

### XI.

**E**iusdem notae doctrinam, si rem ipsam spectes, prauam, defendere, cum *Io. Michaeli*, strenue laborat *Io. Conr. Dippelius*, seu, quo faceto nomine, in re minime ridicula, latitare multo mauult, *Christianus Democritus*, quando proteruius, pro sua, qua pollet, impudentia, urget, ministerium ab summo Numine non esse institutum, sed inuentum esse prorsus humanum, cerebrique otiosi, imo, contra regni Christi institutum, Christum ipsum suos optime posse ducere, sacerdotumque plurimos uitam agere malam.

### XII.

**H**oc ipsum denique, in *Observationibus*, iisque, si fides inscriptioni habenda, *selectis*, & ad rem literariam spectantibus, *Halae Saxonum*, seu *mauis*, *Soraborum*, conceptis, fuisse repetitum, non sine offensione diuulgatum, uariisque argu-

B men-



mentis, studio conquisitis, breuiter quidem, serio tamen, uti uidetur, defensum, nemini temere erit ignotum.

### XIII.

**Q**uae quidem, & huius generis omnia, cum, per conscientiam, minime nobis, & optimo cuique, probari queant, daturi, e contrario, sumus operam, ut iustam, de concionum necessitate, sententiam nostram firmis quibusdam adstruamus argumentis, & praecipuas aduersae partis dubitandi rationes, licet, maximam partem, leuiores ac ieiunas, perlustremus pariter ac diluamus.

### XIV.

**E**t si uero, quod facile quilibet diuinare potest, minime negamus, in quibusuis, si uerbum Dei attente legatur, hominibus sanctum Dei Spiritum operari, sola tamen lectio quid, sine Ministri diuini officio, sine docentis atque instituentis opera, efficere possit, si rudes praesertim spectes, quique nondum ad Deum sint reducti, diuiniora nos oracula, commonent, & quotidiana pariter experientia pridem edocuit. Neque uero nobis, diffiteri, mens est, priuata fidem salutarem institutione posse produci, sed uero, diuinae praeceptionis ui, domesticae publicam esse omnino praeferendam, non ab re  
sta-



statuere debemus. Addimus etiam hoc, probe discerni oportere ipsos, per se consideratos, sermones sacros, & omnem, qui non unus est, eosdem habendi modum. Hunc iam uolumus longissime remotum, ipsarum tantum, sigillatim spectatarum, Concionum necessitatem asserturi.

## XV.

**N**on poterunt, credimus, dissentientes, uel leuiter nobis succensere, si, sanctam hanc & religiosam sententiam a uiris, peculiari quadam ratione ab omnis ueritatis Sancto spiritu ductis, haussisse nos, ingenue profiteamur. Ex multis prodeat uel unus, cuius in mentem uenit, diuinus ille gentium Doctor, quem cognitione, haud paulo excellentiori, rerum sublimium, diuinarumque, ornatum fuisse, quam aduersarios ad unum omnes, ne ipsi quidem temere negabunt. Etenim in sua hic, suos ad Romanos, epistola manifesto docet, τὴν πίσιν esse ἐξ ἀκοῆς. Quae uerba, aetatis postremae, quod nos omnes laetamur, Elias, diuinus ille Lutherus, recte in Germanicam sic transtulit linguam, Der Glaube kommt aus der Predigt. Negari enim iure nequit, ἀκοὴν, cuius ab Apostolo fit mentio, aliud quid esse, quam publicarum concionum auditum, quippe cum Deus, sine omni



medio fidem in hominibus excitari, nolit, eoque consilio praedicationem uerbi & auditum quam maxime, atque in plurimis Codicis sacri paginis, commendarit. Haec adeo uera sunt, ut diuinus hic, de euangelio, legatus, fidem, in Deum, quempiam concipere sine auditu, uel audire, posse *χωρὶς κηρύσσειν* Ⓞ, pernegare sit credendus. Salutare enim, quod summum dedit Numen, ὄργα-  
νον susque deque, non uult, haberi, sed gratis auri-  
bus mentibusque accipi ac retineri. Quae cum ita se habeant, quid, contraria sententia, excogitari alienius, quid fingi inconsultius, quid denique propugnari infelicius, potuisset.

## XVI.

**V**ellemus quoque, benigne aduersarii expone-  
rent, cui bono ipsum hocce institutum esse, credant, ministerium sacrum. Nobis certe ita iudicandum uidetur, solennem, ac publicam, plebis, in diuiniore doctrina, institutionem, praecipuum ac nobiliorem actum esse huius ministerii, propter quem idem illud, maximam partem, sit constitutum. Reliquos enim actus ministerii omnes ex hoc uno posse deriuari, saltem in eo fundari, suoapte quemlibet posse iudicio assequi, nulli dubitamus. Quae causa est, cur Sacramenta, legitime  
ad-



administranda, habeant? nempe, quo sigilla iustitiae, per Dei uerbum acquisitae, hominum cordibus imprimere queant. Quid clauium inuoluit usus, nisi aptam uerborum legis & Euangelii accommodationem? Eccur pro grege quisque suo, quotidie, apud Deum, deprecaretur, si sanctum eundem, per uerbum, reddere nollet? Quomodo uitae & morum honestatem strenue urgebit, qui diuinam de hac uoluntatem annunciat nunquam? Ecquis, disciplinam ecclesiasticam acriter a quocquam seruari, credat, qui publice grauibus increpitantem uocibus, monitisque, de mysteriis sacris non uiolandis, instantem, audiat neminem? Cui nam, quaeso, curae possunt esse cordique ritus & ceremoniae, graui receptae consilio, si ea omnia, in quorum gratiam inuectae fuerunt, debeant cessare? Quam denique stipem, sacro admoti muneri, in pauperes erogabunt, aut quam parabant aegrotis medicinam, qui sermonem Dei, ditantem ac sanantem, eisdem semper denegarunt. Hinc Timotheo Paulus puram atque incorruptam uerbi diuini doctrinam, tanta ui, tot uerbis, tantoque rerum pondere, iniungit, ut, plane illum uecordem esse, oporteat, qui summam huius necessitatem exinde colligere non possit.



## XVII.

**I**ste quidem, quem, nominauimus supra, *Arnoldus*, sacrum ministerium generatim his studuit labefactare uerbis, *Es werde insgemein, so vvol bey Theologis, als Politicis, vom Predigtamt angemercket, dass solches eben nicht so hochnöthig sey, und, ob vwohl das VVort Gottes nothwendig erfordert vverde, so könne doch vwohl eine Gemeine ohne dem Kirchendienst (Ministerio Ecclesiastico) seyn. Daher auch die Lehre von dem Predigtamt nicht unter den nöthigen Glaubens - Artickeln stehe. Zumahlen da Christus selber gesaget habe, vvo zween oder drey versammlet vvären in seinem Nahmen, da sey er mitten unter ihnen. Cui lasciuenti sententiae saniora Lutheri nostri uerba obiicere liceat, propterea, quod probe scimus, tanti dictis Theologi non omnem ab aduersariis locum denegari. Sic autem uerba uiri, diuinitus excitati, sese habent. Ich kenne selbst etliche, die da meynen, vvir dürfften keiner Prediger, oder Pfarrherren, und, man müsse die Pfaffen-Gewohnheit, und alten Herkommens dulden, man könnte die Besoldung und Unkosten, so auff sie jährlich gehen, vvol in andere, und bessere, VVege gebrauchen. Gleich, als vvären Sie, vwie jener saget, ein necessarium*

farium



farium malum. *Sonderlich der Adel, und etliche Klüglinge, sagen, haben vvir doch Bücher, daraus vvir es eben so vvobl lesen können, als höreten vvir es in der Kirchen vom Pfaffen. Du liffest den Teufel auf deinen Kopf, der dich denn besessen hat. VVenn unser Herr Gott gevust hätte, daß das Predigtamt nicht noth vväre, er vväre ja so vweise und kluggevvesen, daß er dirs nicht durch Mosen hätte predigen lassen, und vväre, nach deinen gottlosen, teufelischen, thörichten, Gedancken und Reden, ohne Noth gevvesen, daß er nachmahls das Levitische Priesterthum ausgesendet, vvie er selber sagt. Er vvürde auch dieser Zeit Prediger und Seelforger vvoll heißen dabey bleiben. So hätte er auch nicht den Eltern dürfften einbinden, daß Sie es so ernstlich trieben, und nicht liessen hinhangen. Er vveiß gar vvoll, vvo es uns mangelt.*

### XVIII.

**I**mmo uero haec res clarius patet, si concionum ipsarum naturam indolemque consideremus. In iis enim Sancti Spiritus mentem, ex *Φράσεως* significatione, ueri dicentis scopi inuestigatione, eorum, quae antecedunt, quaeue subsequuntur, euolutione, locorum *παραλλήλων* consideratione, elicitam, munere sacro fungentes publice proponunt.



nunt. Atque ita contextum, siue statum, siue oblatum, seu denique arbitrio electum, non interpretantur solum, uerum, omni abiecta cunctatione, ad auditorum quoque usum quam commodissime accommodant, sic, ut certam accurate ponant *ῥέσιν*, positam, hinc per distinctionem, satis fundatam, hinc per descriptionem congruam, lucide explanent, ac diligenter inculcatam, conueniente modo, amplificent non minus, quam confirmant.

## XIX.

**A**d haec iure merito concedi debet, omni quosdam tempore, in Veteri Testamento, rexisse Ecclesiam & ornasse. Nec ipse diuinus Seruator noster munus hoc sacrum in se suscipere, atque aliis potestatem, publice docendi, facere dubitauit, manifesto, ut apparet, indicio, maxime utiles ac necessarias esse conciones. Patribus denique, ad unum omnibus, curae cordique fuisse Homilias, historiarum monumenta, uti supra commemoratum est, passim testantur. Praeter ceteros, *Cyprianum* & *Chrysostomum* ab oratoria uel dicendi, *Gregorium Neo-Caesareensem*, a dono doctrinam miraculis confirmandi, *Athanasium*, ab amabili docendi perspicuitate, *Gregorium Nazianzenum*, a magna sapien-



sapientia, dicendique copia, *Basilium M.* ab exemplo uitae plausuque, a quibusdam ipsi, etiam, ubi non decebat, dato, *Ambrosium*, ab incredibili *παρρησία*, commendant historiae ueteris solertissimi quique scrutatores. Neque fieri aliter debebat, cum, ordinarie, *DEVS*, neminem, nisi per auditum uerbum, saluum fieri, uelit. Hinc ipse primum, sonora uoce *εὐαγγέλιον* promulgauit, testimonio haud obscuro, sicuti Euam, uerborum sono, a *DEO* auerterit sub imagine serpentis *Satan*, ita quoque, per auscultationem uerbi diuini, suauemque eius sonum, ad aeternam salutem peruenire omnes, qui, paris hominum primi culpa, in exitium essent prolapsi sempiternum.

## XX.

**Q**uodsi ipsi in nos descendamus, uel sexcentos, & amplius, radios fulgentes, certos nobilissimi luminis insiti testes, pro adstruenda concionum necessitate, rectam proiicere rationem nostram, facile deprehendemus, quorum uis, quin se aliquo saltem modo exercere conetur, nemo quisquam, nisi plane occaecatus, temere negabit. Conuincimur enim, ipsum praepotentem *DEVM*, ut omnium, ita ratione quoque praeditorum, con-

C dito-



ditorem, rectorem & conservatorem, ab iisdem, tum quod ad essentiam suam, tum secundum attributa & opera, sobrie uelle agnosci. Quae cognitio post se summi huius Boni cultum trahit, non, secundum peruerſas hominum cupiditates aut cogitationes, minus conuenientem, specie ridiculum, aut, qui uel minimam crudelitatem sapiat, sed optimum, eundemque castissimum atque sanctissimum, plenissimumque pietatis, ut Deum semper, pura, integra, incorrupta, & mente, & uoce, ueneremur, sic ut Cicero loquitur, adeoque ab ipso Numine benigno, tanquam summo, & potenti, suorum omnium fervorum hero, addiscendum. Cui Deo cum debeamus & spiritum nostrum, ratio- praeditum, & corpus tam bene compactum, facile apparet, eundem debere, tam interiori animi affectu, quam exteriori corporis gestu, tum priuatim, tum publice, pie ac reuerenter coli. Quae dicta sunt haecenus, adeo sunt uera, ut ipsi saniores gentium, a DEO alienarum, Philosophi, ea diffiteri minime potuerint, imo, praeclaris suis effatis, sententiis ac testimoniis egregie confirmarint.



## XXI.

**Q**ui sacra nostra publica, quae uigent, maxime uero Conciones, quae solent haberi, paulo contiderat accuratius, citius opinione deprehendit, omnia, in proximis superioribus adducta, mirifice per eas procurari. Salutarem enim, quod negari non potest, cuilibet attento auditori, de uera, ueri Christianorum DEI, Triade, qua essentiam & personas, qua attributa, qua uoluntatem denique & gratiae dispensationem, notitiam instillant. Instruuntur homines solícite moribus, ut, secundum hanc Dei agnitionem, omnes uitae suae rationes ad uoluntatem Dei dirigere, omnia item Christianorum, tam erga Deum, quam semetipsos & alios, officia rite queant explere. Immo uero hac ratione, ad cultum quoque publicum, ipsa corpora, externique sensus, quasi consecrantur. Quae cum ita sint, quis utilitatem concionum, quis necessitatem, ingenue nollet profiteri?

## XXII.

**R**ecte religionem societatis humanae fundamentum Cicero, recte uinculum eandem legum & honestae disciplinae Plato, dixit, cum exploratum esse omnibus, credamus, nihil magis hominum animos afficere, nihil magis ad concordiam



diam animorum conducere, quam, unam eandemque Numinis colendi rationem, qua homines, in societate constituti, quam arctissime inter se colligantur. Non est, quod quisquam existimet, ad Christianam societatem constituendam, praeterquam duos, aut tres, non requiri. Diuino enim afflati Spiritu, Paulus iuxta, ac Petrus, tanquam fructus Christianae religionis, diserte requirunt, ut omnes idem sapiant, omnes uno sint animo consociati, singulaque una uoce censeantur. Certe dici uix potest, quantum, ex utraque parte, ad acerbum implacabileque odium concipiendum, conceptumque retinendum, diuersum dissidensque religiosi cultus externi genus faciat, cuius rei multa, in compluribus historicorum scriptis, uestigia extant.

### XXIII.

**Q**uare nemo amplius ex concionum contemptoribus pessimum, societatis humanae & Christianae uiolatoris, legumque & honestae disciplinae irrisoris, titulum, iure poterit deprecari, cum ueneranda antiquitas, multis iam abhinc seculis, tale hominum genus isto censere loco ac nomine non dubitarit. Quis enim temere infitias ibit, ipsas conciones partem Christianae religionis

CON-



constituere praecipuam, adeoque eum, qui has de gradu deturbare conetur, Christianae humanaeque societatis fundamenta conuellere, lacerare, animum induxisse suum. Exponant aduersarii, quodnam aptius, ad idem cultus diuini genus instillandum, sit subsidium? quae melior sit incorrupte illud, in tanta multitudine, seruandi ratio? quis aptior, concors de rebus, ad religionem spectantibus, inuehendi iudicium, modus? Nonne ad orationes sacras, frequenter habendas, omnia recurrent? Singuli enim auditores, ad uerbum, recte explicatum, sanctissime custodiendum, uno quasi animo atque ore uno, inter se obligari uidentur, & unumquemque, in consortione Christiani coetus uiuentem, ad audienda religionis agnitae praecepta & praescripta, religione teneri conscientiae, fatis superque, suo quisque exemplo, testantur.

## XXIV.

Studio dataque opera omnes sibi eos ipsos impre-  
cari diras, quos diuinis Deus benefactis ma-  
ctare uelit, ut corruptae mentis nota est, sic nescio,  
an homines, secus sentientes, concessae, a be-  
nignissimo Numine, rationis lumen respuere ui-  
deantur, qui tam contemptim de externo religio-  
nis uigore sentire non erubescant. Dudum enim



extra dubitationis aleam apud ipsos debebat esse positum, uigorem istum religionis, ubi adfit, nouaque quotidie incrementa capiat, luculentum gratiae diuinae singularis esse documentum, ubi decrescat, atque indies magis magisque euanescat, certissimum grauissimae, ab Numine irato, tremendo peccatorum uindice, ingratis per contemptum, hominibus immissae, poenae signum denotare. In nostri gratiam boni isti homines hoc, nolumus, credant, sed arcana atque abscondita scrutanti, Deo tantum, quantum is exposcit, honoris tribuant, eisdemque, ex cuius ore sanctissimo accepimus, assensum amplius ne cogitent quidem denegare. Quam facillime iustus ille iudex beneficia sua, pro ea, qua abundat, gratia in nos collata, rursus auferre potest. Qua enim necessitate coactum, credamus, illum munera sua debere in ingratos collocare, aut uelle repugnantibus obtrudere? Recogitemus, quaeso, miserum deplorandumque Iudaeorum statum, praesertim eum, quo Nebucadnezari, durum seruitutis iugum iis imponenti, uictas manus dare cogebantur, quoque publicam uerbi diuini, toties antea sprete, auscultationem uehementer desiderabant. In memoriam reuocemus sanctorum, seculis primis, in priuatos parietes, cryptas, coemeteria

teria



teria, loca, quae istorum temporum permittebat iniquitas, alia, compulsorum, lacrymas, gemitus, suspiria, quotidie, pro publico & securo religionis exercitio impetrando, ad Deum suppliciter emissa. Respiciamus ad profundam, qua periculosior religioni excogitari non poterat, Satanae astutiam, infelicissimis *Iuliani*, abominandi istius *Apostatae*, temporibus maxime deprehensam, cum Christiani institutione in scholis publicis, publicis pariter concionibus confirmanda, ad nullam non doctrinae diuinioris inscitiam inuehendam, indignissime priuarentur. Immo gratias agamus simul Deo immortali summas, quod indomitum furorem istum, breui temporis spatio, cohibere tam benigne uoluerit. Doleamus ex animo uicem tot hominum, unam nobiscum, hac tempestate, in aliis regionibus, fidem profitentium, qui, templis, ad impediendum abolendumque uerum ueri Dei cultum, ereptis, occlusis ac tantum non subuersis, cum multo doloris sensu, a libero religionis exercitio, arcentur. Auidissimis certe uiui hi calamitosae istiusmodi conditionis testes acciperent auribus animisque conciones, quas contemptores earum indomitae, ac ueluti recalcitrantibus, pedibus suis tam nefarie propellunt.



## XXV.

**A**tque, haec, fere, pro 'demonstranda concionum necessitate, in praesens dixisse, sufficiat, cum, in tanta ueritatis luce, plura addere, nihil attineat. Grata concionum florem agnoscimus mente, Deoque O. M. demississime supplicamus, uelit a summo uel detrimenti, uel contemptus, periculo has ipsas conseruare quam benignissime. Ita uero conciones semper uigean inter pios, quoad hi, inter coelites, plenissimum uberrimumque earum capiant fructum, & salutari Numinis aspectu recreati, beato sempiternoque gaudio triumphant.









Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header.

Main body of handwritten text, appearing to be a list or a series of entries.















